4. 6. 352

4 Li. 6

295

XXXII

HENRIC

~~des Gral~~ TRID

~~Dr. SDAT~~

HTRID: Cancel.

HENRIC

Ex legato D. Equitis
Antonii Francisci
de Mannij

SCIPIONIS HENRICI
IN MESSANENSI ACADEMIA
DOCTORIS THEOLOGI,

CENSVRA
THEOLOGICA ET HISTORICA

Aduersùs

PETRI SOAVE POLANI

DE CONCILIO
TRIDENTINO
PSEVDO-HISTORIAM,

AD EMINENTISSIMVM
ET
REVERENDISSIMVM

PRINCIPEM
BERNARDINVM
SPADA. S. R. E.
CARDINALEM.

Cum facultate Superiorum.

DILINGÆ,
IN TYPOGRAPHIA ACADEMICA
Apud Ignatium Mayer.

ANNO Salutis reparatæ. M. DC. LIV.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI,

BERNARDINO SPADA,

S. R. E. CARDINALI

SCIPIO HENRICVS

S. P. D.

POETICAM vim, atque artem tum apud veri Numinis Cultores, tum apud Ethnicas gentes Theologiæ ac Religioni arcto affinitatis Vinculo coniunctam eſſe, ſatis apertè cognoſcet, qui vetuſtas Hiſtorias; qui Poëtarum figuras, qui Sacros, qui profanos Scriptores accuratè perleget. Hâc ego ratione ductus EMINENTISSIME PRINCEPS, non præter Inſtitutum meum agere arbitratus ſum, à Poëticis ſtudijs ad Theologicas diſciplinas iuſtis de cauſis me conuertendo.

Oblatum iam pridem, ſed ſatis ſerò mihi fuit hiſtoricum Volumen aduersùs SacroSanctum Tridentinum Concilium, vulgari Italicâ Linguâ conſcriptum: Audiuíque quam plurimos vel animi infirmitate, vel potiùs nequitiâ & impie-

tate aſſerentes, opere hoc Trid. Concilij cauſam funditus ruere: ac neminem hucuſque inuentum, qui eius veritatem & Iuſtitiam rectâ poſſit Ratione tueri: hinc creſcere Hæreticorum iactantiam & furorem tumeſcere. At ego curioſitate permotus, opus hoc diligenti attentione perlegi. Nihil in eo ſum admiratus, niſi quo ordine & induſtriâ fuerint vera cum falſis admixta: & quæ vera inſunt, in peſſimum Senſum, fallaci interpretatione deducta ex Sophiſmatibus: inueni partim fictitia & vana: partim puerilia & leuia: exceptis quibuſdam, quæ à doctiſſimis Viris ſufficienter confutata iam nouimus.

Prouinciâ igitur ad reſpondendum adſumptà, ſolus labor mihi fuit in inueniendâ dicẽdorum methodo, quod aſſecutus eſſe videor extrahendo ab hâc Hiſtoriâ, ſiue potiùs ab hoc Impietatis Chao; quæ vera, quæ falſa fuerint: quæue inutilia & impertinentia ſilentio prætermittenda. Hunc ego Ingenioli mei Partum Tuis auſpicijs EMINENTISSIME PRINCEPS, ad Solis & hominum lucem exponendum putaui. Etenim, cum pro rerum diuerſitate in opere conſcribendo, omnia fere ſcientiarum genera fuerint attingenda, Tibi certè debetur, qui omni li-

terarum

terarum plenitudine polles: qui inter Purpuratos Patres omni Doctrinarum ſplendore, ac lumine fulges. Quod certè non ſemel cognouerunt & experti ſunt Sapientiſſimi Romani Pontifices, qui in grauiſſimis pro Catholicâ Eccleſiâ cauſis, Tuâ Prudentiâ ac Virtute ſunt vſi.

Sed accipe, EMINENTISSIME PRINCEPS, diuturni mei laboris opuſculum: illo quidem innatæ benignitatis affectu, quo olim ad Te venientem me ſummo, ſed meritis impari honore excepiſti. Interim EMINENTIAM Tuam profundiſſimè veneror, Túque Neſtoreos ac feliciſſimos annos, pro Vrbis & Orbis Beneficio Vale.

INDEX EORVM,

Quæ in hoc Opere continentur.

AVctoris Præfatio.
Prima Pars Cenſura, continens SacroSancti Concilij Tridentini hiſtoriam.
Secunda Pars Cenſuræ, diuiſa in Sectiones quinque.

Sectio Prima, de his, quæ impiè & ſtultè in Præfatione continentur.

Articulus I delectus eorum quæ hoc loco ſub Cenſurâ ponuntur.
Articulus II. de Viris pijs Concilium cupientibus.
Articulus III. de Principibus Concilium petentibus.
Articulus IV. de Epiſcopis Concilium cupientibus.
Articulus V. de Concilio in ordine ad Romanum Pontificem.
Articulus VI. An Concilium Tridentinum, dicendum ſit Ilias?

Sectio Secunda de Mendacijs.

Articulus I. de Mendacijs in Communi.
Articulus II. de Mendacijs in Particulari, & Primo, de nonullis circa Dogmata in Seſſione ſexta.
Articulus III. de Mendacijs, circa ea, quæ pertinent ad Seſſionem ſeptimam, & 13.
Articulus IV. de Mendacijs circa ea, quæ pertinent ad Seſſionem 23. de Inſtituto & Reſidentia Epiſcoporum.
Articulus V. de alijs Mendacijs, & præcipuè de Epiſcopo Gadicenſi. *Sectio*

Sectio Tertia, de his, quæ pertinent ad Concilium in Vniuerſali.

Articulus I. An ad Romanum Pontificem pertineat Concilium Generale conuocare, atque ei vel ſe, vel per ſuos legatos præſidere?

Articulus II. de accedentibus ad Concilium Generale, & de eorum iure.

Articulus III. An Cóncilium ſit ſupra Papam, an è contra?

Articulus IV. An Concilium Generale, vniuerſalem Eccleſiam repræſentet?

Articulus V. de modo procedendi in Concilio.

Sectio Quarta, De Tridentino Concilio in Particulari.

Articulus I. de libertate Concilij Tridentini.

Articulus II. de Concilij Tridentini Translatione in Ciuitatem Bononiam.

Sectio Quinta, In qua reſpondetur Argumentis aduersùs Catholicam Veritatem.

Articulus I. Diluuntur Argumenta, contra duos Pontificum Bullas.

Articulus II. Pro Seſſione Quartâ de Scripturis Canonicis.

Articulus III. Pro Seſſione Quintâ, de peccato Originali & reformatione.

Articulus IV. Pro Seſſione Sextâ, de Iuſtificatione & Gratia.

Articulus V. De diſputationibus inter Ambroſium Catharinum, & Dominicum Soto.
Articulus VI. Pro Seſſione Septima, de Sacramento Baptiſmi.
Articulus VII. Pro Seſſione XIII. de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.
Articulus VIII. Pro Seſſione XIV. de Sacramento Pœnitentiæ.
Articulus IX Pro Seſſione 21. de Communione ſub vtraque ſpecie.
Articulus X. Refellitur mendacium hiſtorici, de duobus Theologis Societatis IESV.
Articulus XI. Pro Seſſione XXI. de SacroSancto Sacrificio Miſſæ.
Articulus XII. Pro Seſſione XXIII. de Sacramento Ordinis.
Articulus XIII Pro Seſſione XXIV. de Sacramento Matrimonij & alijs.
Articulus XIV. Pro Seſſione vltimâ de Indulgentijs, de Inuocatione Sanctorum, & de Purgatorio.
Articulus XV. de Confirmatione Concilij, & de operis Concluſione.

SCIPIO.

SCIPIONIS HENRICI
IN MESSANENSI ACADEMIA
DOCTORIS THEOLOGI
CENSVRA

Theologica & Hiſtorica, aduersùs Petri Soaue Polani, de Concilio Tridentino Pſeudo-Hiſtoriam.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

HISTORIA Concilij Tridentini præ manibus eſt: Auctor Petrus Soaue Polanus. Proprium illius, an perſonatum ſit nomen, Scriptor Hæreticus, an Atheiſta? nihil oportet inquirere. Hiſtoria *inquam; ita enim inſcribitur, cum Satyra potiùs ſit, & certè ſicut facilè eſt Satyram componere, ità difficile admodum eſt Hiſtoriam texere. Etenim vt permittamus, quantum difficultatis inſit in inueſtigandâ & enarrandâ Hiſtoricâ veritate, certè impoſſibile eſt ſuis viribus veram ac rectam Hiſtoriam ſcribere, ſicut & abſque Summi Numinis auxilio, animi Paſſionibus liberari. Hinc Tacitus Annalium initio:* Tiberij, Caij, Claudij ac Neronis res florentibus illis, ob metum falsè, poſtquam occiderunt, recentibus odijs compoſitæ ſunt.

Et

Et quidem liuore & odio non vacat Hiſtoricus noſter, præſertim in Rom. Pontif. quamuis Se omni Paſſione liberum, affirmare audeat. Sit ergo Hiſtoria hæc, aut Satyra; aut tertium quoddam monſtrum ex veritate & falſitate compoſitum: ſit Sophiſticum Commentum, vulgari Italicâ linguâ confictum, vt incautos & rudes decipiat. Contra hanc Sphyngem, quæ captioſa ænigmata proponit; contra Chymæram, quæ auerni euomit ignes, lubens & gaudens ſuſcipio Belligerandi onus; aduerſæ enim vires terrere quidē diſtantes, lædere præſentes non poſſunt. Prætereà non multum laboris erit, contra Blaſphemā hanc Hiſtoriam: in eâ enim Parte, in quâ præcipuè conſiſtit ipſius operis inſtitutum, aduerſarius ipſe nobis arma præſtabit. Quare, ſicut ex viperâ aduersùs viperam medicamenta parantur, ità aduersùs hanc Hiſtoriam ipsâ Hiſtoria vtemur. Et ſanè admirabile eſt, quâ ratione in opere hoc vera cum falſis admixta ſint; & ex bonis, & pro Catholica Religione vtilibus, hæreticorum deliramenta oriantur. Cum ergo & pia & impia cognoſcantur in hoc volumine admixta, meum erit hæreticorum Zizania alligare in faſciculos ad comburendum, & Catholicæ Veritatis Triticum in horreum Chriſti reponere.

Cenſura igitur noſtra ad hanc Hiſtoriam conuenienter diuidetur in duas Partes. In primâ Parte ſepa-

rabimus

rabimus ea, quæ ſimpliciter & hiſtoricè poſſunt ex hoc Volumine referri, circa originem, progreſſum & abſolutionem Concilij, reiectis his, quæ ab Hiſtorico vel falſo narrantur, vel quoquo modo ſuſpecta eſſe cognoſcentur, vel quæ ad Concilium nullo modo ſpectare videbuntur.

In ſecundâ Parte colligentur ea, quæ falſa in illo opere, & quæ hæretico animo dicta inueniuntur, & reſpondebitur ad omnia Argumenta, quæ aduersùs Catholicam Veritatem ibi proponuntur; detegemus, præterea fraudes ac mendacia Hiſtorici grauia atq; compertiſſima, ex quibus luce clariùs apparebit nullam fidem tribuendam eſſe Pſeudo-Hiſtoriæ huic.

Verùm, quod ad primam Cenſuræ partem attinet, Lectorem admonitum volo, me in Hiſtoriâ Concilij Trid. componendâ nihil ex proprio ingenio, nihil ferè ex aliorum Scriptis repoſuiſſe: ſed ea tantum, quæ in ipſius Hiſtorici opere continentur: vt appareat exceptis his, quæ in hâc breui Hiſtoriâ ſunt, cætera, quæ in Pſeudo-Hiſtoriâ remanent, vel falſa, vel ſuſpecta, vel inutilia eſſe cenſenda. Prætereà eſt aduertendum quod ea, quæ ex illo Volumine extracta in Hiſtoriam à me rediguntur, non protinus vt vera & approbata amplectenda eſſe, ſed vt quæ in illo opere inuenta, & poſſibilia fuiſſe non repugnet. Nolo enim, vt ſub Veritatis

inſignibus accipiantur ea, quæ conſcripta ab Hiſtorico aliàs mendaciſſimo perhibentur.

Quòd verò attinet ad alteram Cenſuræ Partem: ſciant omnes, me non aduersùs Lutherum vel Zvvinglium ſcribere, neque SacroSancti Tridentini Concilij dogmata ſuſcepiſſe tuenda: hoc enim neceſſe non eſt, cum integra doctiſſimorum Virorum hiſce de rebus volumina conſcripta circumferantur; ſed tantum meum erit ſcribere aduersùs Petrum Soaue Polanum, eiuſque Pſeudo-Hiſtoriam ad confutandum ea, quæ Catholico homine indigna in eo Volumine inueniuntur; Et ad veram, propriámque laudem SacroSancto huic Tridentino Concilio reſtituendam, quod, cum (attentis ſummis in eius celebratione difficultatibus, ſiue ex hæreticorum inſidijs, ſiue ex Principum diſcordijs, ſiue ex determinandorum multitudine & varietate,) fuerit ſanè admirabile opus & planè diuinum, ob impijſſimo hoc Atheo contemnitur, accuſatur atque damnatur.

PRIMA

PRIMA PARS CENSVRÆ, CONTINENS SACROSANCTI *CONCILII* TRIDENTINI HISTORIAM.

DEcurrebat humanæ Salutis Annus 1517. ſedente in Cathedrâ Pontificiâ Leone X. ex nobiliſſimâ apud Florentinos Medicæorum familiâ, Imperante Maximiliano Auſtriaco huius nominis Primo; Pontifex ſui regiminis initio non ſolùm ad bellicos Italiæ labores ſedandos & arma in Turcas conuertenda direxerat animum, verùm etiam ad ædificium proſequendum Templi maximi apud Vaticanum. Sed bellis exhauſto Eccleſiaſtico ærario, ſub eius Prædeceſſore Iulio II. viſum Pontifici fuit pro more iam dudum in Eccleſia recepto, vti Eleemoſynis, quas ob indulgentias ex Pontificia largitate ſub Cruciatæ nomine Chriſti fideles erogare ſolent. Huius rei curâ Moguntino Archiepiſcopo in Germaniâ delegatur, qui Ordinis Prædicatorum fratribus euulgandum Indulgentiarum Pondus commi-

commiſit. At munus hoc ex vetuſto in Saxoniâ more Eremitanis Sancti Auguſtini fratribus fuerat proprium; quare ipſi ſuo iure exturbatos ſe exiſtimantes, in diſſidia & iurgia tranſierunt.

Erat ibi eo tempore non obſcuri nominis inter Auguſtinianos Magiſter, Frater Martinus Lutherus; ipſe ſuorum indignationem ſecutus, maximè omniũ aduersùs Pontificis gratias, & Indulgentiarum Concionatores anteſignanus eſt factus. Nam & Concionibus, & Colloquiis,& publicis Diſputationibus eorum Authoritatem atque vtilitatem eſt conatus infringere. Tractatus ſunt ab eo hâc de re Typis editi, & ex aduerſo, Dominicana præſertim familia, ſatis accuratè reſpondit. Semper tamen Lutheri, vt impius erat, & ad omnes errores propenſus, in dies magis augebatur malitia, & de minoribus
15. 18. ad maiora abſurda hæreſéſq; tranſibat. His Romam delatis Pontifex Lutherum in iudicium vocat: Cauſa committitur Thomæ de Vio, Caietano S. R. E. Cardinali, ſummo Theologo ex Dominicanâ familiâ, qui apud Germanos in Auguſtano Conuentu Pontificis Legatus tunc aderat.

At Lutherus, qui Saxoniæ Ducis Patrocinio nitebatur, præuio Maximiliani Cæſaris Saluo Conductu ad Legatum tandem perrexit.

xit. Legati cum Luthero congreſſus inutilis fuit, cum nimis longè, ac toto cælo diſſentiret vterque. Quare Legatus Lutherum ad ſuos remittit, ſperans ex Collocutione iſta illum ad reſipiſcentiam tandem venturum. Hinc poſt aliquot tempus Io. Staupitij ſui Ordinis Vicarij Generalis mandato, Lutherus ad Legatum denuo mittitur, quem cum incorrigibilem cerneret, & petulanter loquentem audiret, nec benignis rationibus animi duritiem lenire poſſet, acriter eum reprehendit; ſed Lutherus ſtatim Legati aſpectum fugiens Auguſtâ diſceſſit. Sed inde non longè digreſſus, fictæ excuſationis & pænitentiæ ad Legatum litteras miſit, procul dubio, ne læderetur in viâ.

Fluctuãte igitur Indulgentiarum cauſâ apud Germanos, quoniam Lutherus necdum apertè à Pontificis authoritate ſe diſceſſiſſe ſimulabat, Pontifex pro ſedandis Controuerſijs, Decretum edidit, Indulgentiarum veritatem declarans. Decretum ad Caietanum mittitur, qui Pontificis reſcriptum Typis datum per Germaniam euulgauit. At Lutherus, qui vt par erat, Apoſtolicæ Sedis Decreto reſipiſcere debuiſſet, iratus quod Pontifex per publicam ſententiam eius placitis aduerſaretur, vt impiorum Schiſmati-

corum

corum eſt vſus, ad futurum Concilium appellauit, ſparsâ per Germaniam Appellationis formulâ temerariâ, & impudenti; ſed pro corruptorum temporum conditione, apud ſtultos gratiſſimâ, quorum magnus eſt numerus.

Zvvinglius. Idem interim malum affecit Tigurium (vulgo Zürch) in Heluetiâ: vbi Vldricus Zvvinglius Canonicus ſe oppoſuit Sampſoni ex Franciſcanâ Familiâ, quæ ibi ex Pontificis Mandato eaſdem Indulgentias promulgauit. His auditis magis intumuit Lutheri temeritas atque inſolentia, & mox deſerto Pontifice contra Eccleſiæ Sacramenta, & alia id genus erupit: Scholaſticorum Theologorum, vt Sophiſticam aſpernando Doctrinam, & Sacram Scripturam præter Antiquorum Patrum, & Eccleſiæ ſenſum pro libidine interpretando. His indies creſcenti- (1519.) bus malis, & conclamantibus vndique præſertim ex Germaniâ Eccleſiaſticis Viris, Leo Pontifex Congregatione initâ ex Cardinalibus & Epiſcopis, & ex Theologis, & Canoniſtis, omnibúſque maturè conſideratis Lutheri errores damnauit, Bulla editâ die. 15. (1520.) Iunij. 1520. Quo audito Colonienſis & Louanienſis Vniuerſitas, damnatos Lutheri libros in ignem coniecêre. Sed Lutherus præterquam, quod Bullæ huic repetitam ad Cõ-

cilium

cilium appellationem oppoſuit: ipſam & Pontificis Bullam, ſimúlque Pontificiorum Decretorum libros Witembergæ publicè viciſſim comburi iuſſit, ac ſiue timore alicuius ſibi imminentis mali, ſiue vt ſuas hæreſes Principum Authoritate firmaret, ſtrenuè ſuæ nationis Principem Saxoniæ Ducem, ad ſuas partes trahere ſtuduit. Et iam creſcente mirum in modum inter Germanos atque Heluetios hæreſi, tum primum de Concilio conuocando cogitatum fuit.

Anno Domini 1521. Wormatiæ in Conuentu coram Carolo V. Cæſare Lutherus ſe ſiſtit, & de ſuâ doctrinâ interrogatus præmeditatâ oratione Iudicium conatur eludere. Tandem requiſitus: an velit Doctrinam ſuam Generali Concilio ſubmittere? Reſp. affirmatiuè, ſed ſub conditione: vt ſcilicet Dogmata controuerſa ex ſuâ Doctrinâ extrahantur, quæ ipſe Concilio ſubmitti velit, de quibus tamen nullatenus, niſi ex Sacra Scriptura feratur Sententia. Obſerua hic Hæretici pertinaciam, arrogantiam ac fraudem. Primò de Indulgentijs locutus eſt, licet impiè ac ſtultè: cum reſpectu tamen aliquo ad Rom. Pontificis Authoritatem. Deinde, poſtquam Pontifex de Indulgentijs contra illius mentem declarauit, ipſe relicto Pontifice ad Concilium confugit. Nunc au- 1521.

diens imminere Concilium, leges Concilio imponit. Sed paulo poſt idem Lutherus inducitur dicens: *Se neque Angelorum Iudicio ſuam Doctrinam ſubiecturum, imo per illam homines ſimul, & Angelos iudicaturum*, quæ omnia in ipſo Petri Soaue opere videre eſt. His ſine fructu peractis Luthero, libera diſcedendi facultas conceditur: etenim ſub fide publica venerat. Sed Cæſar Imperiali Edicto Lutherum, eiúſque Sectatores proſcripſit, quamuis eo tempore aduersùs Lutherum leges Araneorum telis non diſſimiles fuerint.

Audito interim Pontificis Decreto, Doctores Pariſienſes damnauerunt Lutheri Doctrinam, & Henricus VIII. Angliæ Rex librum edidit de Sacramentis aduersùs eundem. Hugo Cònſtantienſis Epiſcopus, ſub cuius Eccleſiaſtica Iuriſdictione Tigurum ſitum eſt, egit per litteras cum illius Ciuitatis Senatu, vt in Zvvinglium animaduerteret. Sed is hæreticâ fraude vſus conclamabat: *Eccleſiam Reformatione indigere, & his ſimilia*, ac ſexaginta ſeptem Concluſiones publicè defendendas obtulit. Tigurinus Senatus vocatis ſuæ ditionis Doctoribus, præſente Iacobo Fabro Conſtantienſis Epiſcopi Vicario, ſuper illis Concluſionibus diſputari voluit. Sed cum nemo agnoſceretur

Iudex,

Iudex, & omnia in clamores abirent, Faber tandem dixit: ad Concilium *hæc referenda*, ſed ex ea die in locis illis Religionis cauſa in peius ruere perrexit.

In his Anguſtijs Leo Pontifex moritur; *Adrianus.* Adrianus ſufficitur, qui ex Hiſpaniâ vbi Caroli nomine erat, ſub finem menſis Auguſti 1522. Romam acceſſit. Pontifex integer animo, Lutheri ac Sectatorum hæreſes, potius inter inſanias & figmenta quàm firmas mentis perſuaſiones referebat; Menſe Nouembri Franciſcum Chariganum Fabrianenſem Epiſcopum Norimbergam mittens, poſtulauit à Principibus ibi congregatis, vt Cæſaris Edictum contra Lutherum, ac Sectatores executioni mandetur: qui & multa alia propoſuit pro Religione, & quiete in Germania. Reſponſum ſatis leuibus adductis rationibus 1523. *eos velle, ſed non poſſe punire Lutherum.* Protulerunt deinde centum Grauamina: poſtulantes Concilium in partibus, in quo vt in cauſa communi omnibus tam Eccleſiaſticis, quàm Laicis ius eſſet dicendæ ſententiæ.

Interim Andrianus Pontifex moritur, e- *Clemens VII.* iúſque loco eligitur Clemens VII. Iulius Medices anteà dictus; hic ſtatim Laurenti- 1524. um Campegium Cardinalem Legatum miſit ad alium Norimbergæ Conuentum. Qui ex 100. illis Grauaminibus Germanici Cleri

Reformationem adornauit, ſed vniuerſaliter acceptata non fuit. Legatus dimiſſo illo Conuentu, aliũ Ratisbonæ inſtituit ex Principibus melioris mentis, ac Pontifici adhærentibus, & pro illorum locorum Clero Reformationem compoſuit. Vbi Concilium denuò propoſitum eſt. Hæc Norimbergæ acta Cæſari diſplicuerunt, qui ſatis acriter ex Hiſpaniâ reſcripſit ad Principes, *nihil ſe inſcio tam liberè vel negandum, vel poſtulandum: neque illis ius eſſe Concilium petendi à Pontifice: hoc enim ad Cæſarem pertinere.* Tur-
1525. bauerunt hæ litteræ Germanorum animos, qui nunquam tam deſpoticas à ſuis Imperatoribus Epiſtolas accipere conſueuerant. Verum turba hæc alijs turbationibus ſublatæ ſunt, Bello aduersùs Anabaptiſtas inito. Fuerunt hi peſſimi Hæretici ex Lutheri propagine, qui ſicut Deo verum cultum negabant, ita & Principum Iura conculcabãt. Sed vbique armis ſonantibus, etiam Franciſcus Galliæ Rex Papienſi Prælio captus, in Hiſpaniam ad Cæſarem mittitur.

1526. Sequenti Anno in Conuentu Spirenſi nihil de Religione concluſum, imò ad bellum Ciuile ventum fuiſſet, niſi Ferdinandus Caroli Regis frater præſtò fuiſſet. Hoc autem euenit, quia aliqui ex Principibus iam ad Lutheranas partes tranſierant. Secuta ſunt deinde

deinde diſſidia, & bellici euentus inter Pontificem ac Cæſarem: qui nihil ad Concilij Hiſtoriam faciunt.

Rebus tandem compoſitis alius apud Spiram Conuentus inſtituitur; in eo magnalis & contentio orta eſt inter Lutheranos & Zvvinglianos de modo, quo exiſtit Chriſtus in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Hâc de re poſt Conuentum, agente Landgrauio Haſſiæ conuenerunt apud Marpurgum Lutherus & Zvvinglius; diſputatum eſt per dies tres; ſed quoniam æqualis eorum erat Superbia, fruſtra pro conciliatione laboratum eſt. Facta ſunt nihilominus in Conuentu Wormatienſi Decreta aliqua circa Religionem perfunctoria & incertæ interpretationis; ab Electore tamen Saxoniç, & alijs Hæreticis non acceptata. Vnde ob proteſtationem ab ipſis editam aduersùs Decreta illa, tunc primò Proteſtantium auditum eſt nomen. 1529. *Proteſtantes.*

Conuenerunt deindè Bononiæ Pontifex, & Cæſar, vbi multa de Concilio ſunt collucuti. Conſideratum eſt primo de Concilij loco, & quidem ſatis euidens erat, ſi vt petebatur, Cōcilium vltra montes celebraretur, Catholicæ Fidei, ac Pontificiæ Auctoritati perniciosum id fore. Ibi enim Hæreticos præſentes in Patriâ vi, fraude & clamoribus

vtentes, non ſolum turbaturos omnia, verum etiam maius fortaſſe excitaturos malum, quàm in Baſilienſi Concilio. Addebat præterea Pontifex, Concilium hoc, nec ſtulto & indocili vulgo profuturum, nec ipſis Hæreticis Principibus, qui Religionis prætextu rixis, & tumultibus fauent, vt contra Cæſarem, & eius Authoritatem inſurgant, atque augeant. Itaque *certè ſcio* (aiebat,) *Concilium huic malo nullum præſtiturum remedium, vt hac de re velut Prophetico ore loqui poſſim.* Etenim cum omnes iſtos, quæ circumferuntur Hæreticæ opiniones, damnandas eſſe certum ſit, vbi contra ſe Sententiam latam cognoſcent Hæretici, tum de Concilij validitate, atque de eius poteſtate quæſtionem inducent. Melius ergo eſt antequã inualeſcant, hæc naſcentia mala amputare, atque extinguere, quàm fruſtra ſatagere, vt per Concilium impij reſipiſcãt. Romani Põtificis Poteſtas & Fides à Deo eſt: aduersùs
Matth. 16. quam dicente Chriſto, *Portæ Inferi non prævalebunt*, & Concilia diuino afflante Spiritu ſemper de eius Authoritate teſtata ſunt.

1530. Cæſar in Germaniam pergens, Auguſtæ Conuentum indicit. Illum ſecuti ſunt Cardinalis Campegius & Petrus Paulus Vergerius, Nuncius ad Ferdinandum Regem. Auguſtæ in Conuentu non amplius per amba-

ges

ges & æquiuoca,ſed apertè & in Scriptis,de Religione actum eſt. Proteſtantes nouæ Doctrinæ Articulos Cæſari offerunt, (licet cum aliquâ diſcrepantiâ inter Lutheranos & Zvvinglianos:) aſſerebant ſe ad iſtam Cõfeſſionem proponendam Auguſtam veniſſe (vnde Auguſtanæ Confeſſionis nomen eſt ortum) quia Cæſar eos de Religionis ſenſu percontatus iam fuerat. Cardinalis Legatus à diſputationibus cum Hæreticis abſtinendum cenſet, ſed Cæſar Proteſtantibus leniter reſpondit, *de eorum Doctrinâ iam factum eſſe Iudicium, eámque improbatam: cæterum ſe ſperare, eos tandem ad Eccleſiæ Vnionem redituros.* Factum eſt pro Concordiâ Colloquium tribus & tribus hinc inde diſputantibus; ſed licet Hæretici cum Catholicis viſi ſint in leuioribus concordare, in grauioribus nulla prorſus Concordia inueniri vnquam potuit. Cæſar imperiali Edicto nouitates illas eſt deteſtatus, ſed Decreti huius non ſunt tradita Exempla, ne variâ interpretatione in longum traheretur contentio. *Confeſſio Auguſtana.*

At mira fuit Principum Hæreticorum durities, & erga Cæſarem inobedientia, neque ab eis obtineri potuit, vt ſaltem quieſcerent vſque ad futurum Concilium, quod breui indicendum Cæſar pollicebatur. Curatum

1531. eſt, vt pęnis coercerentur, ſed quia in aliquos tantùm pauperes ac miſeros animaduerſio iſta valebat; cúmque in fructuosè fieret, ceſſatum eſt, & ob id Ratisbonenſis Conuentus indictus. Hoc anno prælium pro Religione inter Heluetios eſt factum cum Catholicorum Victoria, in quo hæreſum Auctor Zvvinglius percuſſus occubuit.

1532. Sed Cæſar, qui Concilium his malis antidotum opportunum fore cenſebat, egit cum Galliæ Rege, vt ambo per Oratores Concilium à Pontif. peterent, in quo Proteſtantes adeſſe, eiúſque Decretis ſubeſſe deberent. Etenim armis eos cogere tempus non patiebatur, imminente in Pannonia cum Turcis grauiſſimo bello. Pontifex Cōcilij Celebrationi aſſentitur, duæ tamen difficultates impedimento erant. Primò enim Proteſtantes volebant, vt Concilium fieret in interiori aliquo Germaniæ loco; Pontifex verò in Italia; etenim in Germania futurum erat, vt vel omnia in clamores abirent, colluctantibus ſemper Hæreticis, vel eorum vi ac fraude, in peius tranſirent. Secundò, Proteſtantes petebant, vt eōrum Doctores, quāuis Laici poſſent deciſiuum Suffragium ferre in Concilio, ſicut & Epiſcopi, quod abſurdum erat, & contra Concilij formam. His igitur fruſtra tentatis, vrgente Turcico bello,

lo, Cæſar Pacem Proteſtantibus conceſſit, vſque ad futurum Concilium.

Expulſis Turcis, bellóque feliciter acto, Pontifex denuo & Cæſar Bononiæ conueniunt, vbi rebus diligenter examinatis, Hugo Rangonius Regienſis Epiſcopus, Pontificis nomine, & alius Cæſaris Orator mittuntur ad Proteſtantes, quorum Caput erat Elector, & Dux Saxoniæ: qui reſpondit, *ſe id cum alijs Proteſtantibus communicaturum, & commodè hoc fieri poſſe in* futuro Conuentu. At ipſe conuocatis ſtatim ſuæ Sectæ proceribus, Smalcaldiæ Saxoniæ Oppido, ex eorum conſultatione parat ſatis acre reſponſum, ex diametro contra Pontificis voluntatem & Concilij formam. Verùm de his alibi. Accidit hoc tempore Anglicanum Schiſma ob Henrici VIII. Angliæ Regis illegitimum Matrimonium, initum propriâ vxore repudiatâ. De Concilio ſub hoc Pontifice nil actum, poſt diuturnum enim morbum mortuus eſt. 1533. 1534.

Paulus III. ex Farneſiâ familiâ eius Succeſſor alacri animo Concilij cauſam amplexus eſt; ob id Vergerius, qui vt diximus apud Ferdinandum Nuncius erat, Romam vocatur: qui poſtquam de rerum Germanicarum ſtatu Pontificem docuit, denuo in Germaniam mittitur, vt & cum Catholicis, *Paulus III.*

& cum Hæreticis ageret de Concilio cele-
brando. Proteſtantes Smalcaldiæ collecti,
1535. Vergerio reſponderunt: *Se quidem velle Concilium, ſed in Germania, in quo omnes Chriſtianorum Ordines adeſſent, & votum ferrent, etiam Laici. Se non appellauiſſe ad Concilium in quo Romanus Pontifex ſuo nutu omnia regeret*, ipſe enim iam aduersùs eos ſententiam
1536. tulerat. Sed Vergerius poſtquam Germaniam peragrauit, ac muneri ſuo ſatisfecit, Romam reuertitur; quo audito Cæſar Neapoli Romam accedens, agit cum Pontifice de Celebratione Concilij, quod tandem Pontifex Mantuæ futurum indicit.

1537. Cæſar verò Matthiâ Heldo Vice-Cancellario ad Proteſtãtes miſſo, illos hortatus eſt, *vt ad Concilium accederent, ſéque ibi ad futurum promiſit, niſi bellis impediretur. Addit Mantuam Ciuitatem eſſe Romano Imperio ſubditam, ſi quid aduersùs Pontificem haberent, cum modeſtiâ proponi poſſe: eorum non eſſe Leges Concilio imponere*, cum in Hiſpaniâ, Italiâ, Germaniâ, aliiſque Chriſtiani Orbis partibus ſint Theologi, qui hâc de re idem ſentiant. Reſpondent Proteſtantes: *Se Mantuæ tutos non eſſe, Romanum Pontificem, qui eos damnauerat, iudicem in cauſâ eſſe non debere; neque Epiſcopos, qui illi ſunt Iureiurando adſtricti; aliarum Nationum Theologos tales eſſe, vt*

nihil

nihil ratum putent, quod Romani Pontificis Iudicio non ſubmittatur.

Huius ſenſus literæ ad Cæſarem & alios Principes mittuntur; Henricus verò Angliȩ Rex, aduersùs indictum Concilium libellum edidit; Mantuæ Dux Ciuitatem iam Pontifici conceſſam negauit. Deinde Concilium Vincentiæ indicitur; Apoſtolici Legati eo mittuntur; atque iterum Henricus contra iſtam nouam indictionem Epiſtolam ſcripſit. Omnia tandem Hæreticorum fraude turbantur: fruſtrà varijs artibus obnitente Pontifice pro celebrando Concilio. Sed 1538.
creſcentibus Henrici impietatibus denuò à Pontifice excommunicatur, & regno priuatur. Etenim non ſolùm verâ repudiatâ vxore, aliam duxerat, & Anglicanæ Eccleſiæ Caput appellari voluit, verùm & præter hæc & alia contra Catholicam Religionem facinora Roffenſem Cardinalem illi aduerſantē, capite plecti iuſſit. Præterea S. Thomam Cantuarienſem Epiſcopum, qui ſeculis elapſis ob Eccleſiaſticæ libertatis defenſionem ſub Henrico II. occiſus fuerat, Regiæ Maieſtatis læſæ conſtituit reum, & per Carnificem publicè Corpus eius comburi, ac cineres demergi in mare imperauit, reditibus Eccleſiarum ſub eius nomine, Regio fiſco applicatis.

Sed

Sed ad componendas in Germaniā de Religione contentiones, colloquium inſtituitur, annuente Cæſare, qui in Hiſpaniam inde diſceſſerat. At Catholici, qui colloquio adeſſe debebant, monuerunt Pontificem, vt aliquem ſuo nomine mitteret ad tuendā Catholicæ Religionis cauſam. Hoc audito Pontifex, ne aliqua Religionis iactura ex hoc Colloquio oriretur, Montis Pulciani Epiſcopū Nuntium in Hiſpaniam ad Cæſarem mittit. Hic inter alia in mandatis habuit, vt Cæſari ſuaderet præiudicialis Colloquij ſuſpenſionem; ſimúlque, vt ipſe totis viribus orthodoxæ Fidei conſeruationem curaret. Cæſar tum Nuntij monitis, tum quia ortos in Belgio tumultus cupiebat ſedare, Colloquium ſuſpendit; & Pontifex ex Cardinalium Conſultatione, Concilium Vincentiæ
1540. futurum denuo ſtatuit. Inde Cæſarem per Galliam in Belgium venientem Ferdinandus frater conuenit, ac de Colloquio iam indicto, inter eos eſt actum.

Hoc audito Cardinalis Farneſius adoleſcens, qui Cæſarem ſecutus Marcelli Cencini Concilio vtebatur, contrarium ſuadere conatus eſt, aſſerens *Colloquium nihil profuturum propter oppoſitarum opinionum diſtantiam. Hæreticos in dies mutari, neque hodie ſuæ ipſi Confeſſioni Auguſtanæ in integrum credere; potius*

tius periculum eſſe, vt noua hæreſes ex hoc Colloquio emergant, quàm vt per illud præſentes tollantur; Hæreticis nihil inter ſe conſtare, niſi aduersùs Pontificatum; omnia cum iacturâ & ſcandalo fore, ſi Fidei Dogmata ſolis Germanis committantur, non vocatis Hiſpanis, Gallis, Italis atque alijs, vt in Generali Concilio fieri ſolet. His non obſtantibus Cæſar Colloquium habendum ſtatuit; quâ deliberatione auditâ eo inſcio, Farneſius ſtatim inde diſceſſit, & in Galliam pergens, ibi à Rege vt contra Hæreticos Legem ſeueriſſimã ferret, impetrauit.

Hagenoæ Conuentus & Colloquium celebratur, Ferdinando Aſſiſtente Catholicis, atque Hæreticis hinc inde diſputantibus: Treuerenſi ac Palatino Electoribus, Bauaro Duce, & Argentinenſi Epiſcopo Mediatoribus. Proteſtantes requiſiti de eorum Fide obtulerunt Confeſſionem Auguſtanã cum Apologiâ. Catholici reſponderunt, iam illam Cæſaris Decreto fuiſſe damnatam. Proteſtantes reſcindi Decretum, Catholici etiam cum Decreto reſcindenda omnia eorum acta volebant, vnde & Bona Eccleſiæ occupata ſuis dominis reſtituenda fuiſſent.

His ſub initiũ malè compoſitis, Ferdinandus ſtatuit, vt aliud Colloquium Wormatiæ fieret, in quo nihil de ante actis proponeretur. Cæſare igitur confirmante Decre-

tum,

tum, cò mittitur Granuellanus & filius eius Atrebatenſis Epiſcopus, præterea tres Theologi ex Hiſpaniâ. Pontifex, quamuis Colloquium non probaret, tamen pro maioribus malis euitandis, eo etiam deſtinauit Nuncium Thomã Campegium Feltrienſem Epiſcopum, & cum eo Vergerium, iam conſtitutum Iuſtinopolitanum Epiſcopum, qui licet à Pontifice miſſus, ibi tamen Regis Galliæ partes agebat. Et iam de peccato originali quæſtio fuerat inſtituta; pro Catholicis Eckio, & pro Lutheranis Melancthone loquentibus. Sed interim agente Apoſtolico Nuncio, Granuellanus miſſis ad Cęſarem litteris, docuit eum de rerum difficultatibus; quibus cognitis Cæſar ad Ratisbonenſem Conuentum negotium diſtulit.

1541. Inſtat ſequenti anno Cæſar pro Cõuentu, & Colloquio Ratisbonenſi, vt Pontifex mittat Legatũ cum plenitudine Poteſtatis circa res Fidei: *Se ſperare aſſerens, Colloquio hoc omnia de Religione diſſidia fore ſedanda.* Mittitur ad hoc Caſpar Contarenus Cardinalis vir doctus & prudens. Hic veniens Legatus ad Cæſarem, per viam excuſationem propoſuit, quod non tam plenam circa res Fidei poteſtatem haberet, vt Cæſar voluiſſet. Illa enim pleniſſima & abſoluta poteſtas ita Pontificis propria eſt, vt alteri in-

communi-

communicabilis ſit. Monuit præterea Cæſarem, vt curaret, ne aliquod ex hoc Colloquio in alias nationes Schiſma tranſiret: atque Leonis X. Bulla aduersùs Lutherum illæſa perſiſteret.

Differentes in Colloquio ex partium conſenſu, pro Catholicis eliguntur à Cæſare Ioannes Eckius, Iulius Flugius, & Ioañes Gropperus: pro Hæreticis Martinus Bucerus, Philippus Melancthon & Ioannes Piſtorius. Præſidentes erant Princeps Palatinus, & Granuellanus. Hic Cæſaris nomine libellum obtulit, in quo omnia continebantur, de quibus erat controuerſia. Hortatus eſt ſingulos, vt quiſque de libello judicet, quid approbandum, quid reprobandum; in quo conuenirent, in quo diſſentirent, & ſingula annotentur. Reſponſum eſt poſt aliquot dies, facta conſultatione: *In aliquibus conſentire, in aliquibus nullâ ratione concordare poſſe.* Cæſar in Conuentu rem proponit. Reſponderunt Eccleſiaſtici: *Libellum ipſum, atque omnia in eo Colloquio acta eſſe delenda.* Principes Laici dixerunt: *Inſtandum Legato, vt aliquam Concordiæ adaperiat viam.* Legatus viſis Colloquij Actis, ſatis leniter, & per verba Generalia reſpondens dixit, *in his, in quibus Proteſtantes cum Eccleſiâ non concordant, annuente Deo non deſperandam eſſe Concor-*

Concordiam, interim omnia ad Pontificem referenda.

Hoc Legati reſponſo accepto ſtatuit Cæſar, vt Articuli, in quibus facta eſt Concordia, teneantur vſque ad futurum Concilium, ſiue ad aliud Decretum. Proteſtantes aſſenſi ſunt, quoad Articulos, quod verò ad Concilium, dixerunt more eorum ſolito, *ſe Concilium velle nullâ habitâ relatione ad Pontificem.* Catholici verò Articulos illos abominati ſunt, vt incertæ interpretationis, vt ſuperfluos, vt pernicioſos; de Concilio dixerunt, ſe Concilium velle legitimum à Romano Pontifice conuocandum, in quo per ſuos Legatos ipſe præſideat. His auditis Legatus queſtus eſt de prauâ ſui reſponſi interpretatione. Ille enim de Actis nihil approbauerat, ſed tantum dixerat *omnia ad Pōtificem referenda.* Poſtulauerunt Catholici Nationale Concilium, ſed Legatus varijs rationibus hoc negauit: quare ipſi ad Generale Concilium conuerſi ſunt. Tandem Legatus Romam reuertitur, qui quamuis ob aliquibus accuſaretur, optimam Pontifici ſuæ Legationis rationem reddidit.

1542. Spiræ Conuentus habetur, eò mittitur Ioan. Moronus Mutinenſis Epiſcopus Apoſtolicus Legatus; hic Pontificis mentem aperit de Concilio celebrando. Propoſuit

aut Ferrariam, aut Bononiam, aut Tridentum, quæ eſt Ciuitas in Germaniæ finibus. Catholici aſſentiuntur; Hæretici neque locum, neque Concilium laudant, vt à Pontifice conuocandum. Sed Pontifex ſtatuit, vt Concilium eſſet Tridenti; Decretum firmat, Legatos mittit. Verùm Cæſare & Galliæ Rege inter ſe diſſidentibus, Concilij celebratio impeditur. Quare Pontifex pro cōponendâ pace duos Cardinales mittit, Contarenum ad Cæſarem, & Sadoletum ad Galliæ Regem. Legati cum aliquibus Epiſcopis Tridentum accedunt; illuc & venerunt, Cæſaris nomine Oratores. Granuellanus & qui apud Venetos Cæſareus erat Orator; Petunt hi Celebrationis initium, ſed Epiſcoporum paucitas impedimento eſt.

Proteſtantes denuò Colloquium petunt, ſiue ad impediendum Concilium, ſiue præteriti Colloquij euentu excitati. Sed Cæſar eorum fraudem eludit Concilij conuocatione propoſitâ; illi verò Concilio huic aſſentiri nolunt. Verùm frigeſcentibus omnibus Tridento Cæſaris Oratores diſceſſerunt; illos Epiſcopi paulatim ſequuntur; Legati poſt ſex menſium infructuoſam moram tandem Romam, vocati à Pontifice, reuertuntur. Inde Pontifex & Cæſar Buſcbeti cō- 1543.
ueniunt, quod eſt Pallauicinorum Caſtel-

lum propè Placentiam. Multa inter eos beneuolentiæ ſigna: ſed de Concilio parum; cum ad Arma tenderent omnia. Et parum perdurauit inter eos beneuolentiæ affectus, quod Cæſar contra Pontificis Edictum inierat fædus cum Anglo; neque illius excuſatio valuit, quod & Galliæ Rex fædus compo-
1544. ſuiſſet cum Turcis.

Spiræ Conuentus habetur, vbi cũ de Religione tempus non eſſet, res ad alium Conuẽtũ differtur. Sed augebantur interim ſimultates Pontificis aduersùs Cæſarẽ ob ea, quæ ab illo pro demulcendis Hæreticis in Conuẽtibus agebantur. Quare mittit ad eũ ſatis longam & grauem Epiſtolam, ne rebus Eccleſiaſticis ſe ingerat, neq in Cõuentibus de Religione Diſputationes permittat. Sed bellum inter Cæſarem & Galliæ Regem breui quieuit: fædus initur, in quo de Concilio agitur. Pontifex lætus hoc fædere, nouam conuocationis Bullam adornat, & litteras hâc de re ad Principes mittit. Quapropter Cæſar per Epiſtolas de Concilio celebrando ſuos Subditos monet: iubens vt & Doctores Louanienſes Dogmata colligant in Concilio proponenda, ſicut & Galliæ Rex Pariſienſibus indixit. Pontifex nihil diligentiæ prætermittens, vt Chriſtiani Principes ad Concilium ſuos Oratores mittant, mo-

nuit

nuit Cæſarem, vt nihil amplius concederet Proteſtantibus, ſe aduersùs eos, & ſpiritualia & temporalia arma collaturum.

Primi omnium à Pontifice mittuntur ad Concilium tres Cardinales Legati: Ioannes Maria à Monte Epiſcopus Præneſtinus, Marcellus Ceruinus Presbyter, & Reginaldus Polus Diaconus: Viri animo, ingenio, fide, & modeſtiâ inſignes. Dubitans deinde Pontifex, ne in Conuentu Wormatiæ, aliquod Concilio præiudicium fiat, ſpecie Legationis, mittit ad Cæſarem Cardinalem Farneſium, qui prius Wormatiâ tranſiens, Catholicos ibi firmaret, deinde ad Cæſarem pergeret. Miſit & Groſſenſem Epiſcopũ ad Ferdinandum Regem, vt eum ad Wormatiæ Conuentum ſequeretur; etenim abſente Cæſare Conuentus celebrandus fore dicebatur. Poſtea Pontifex ad Concilium ſe conuertens, de ſuorum Legatorum iure & facultate cogitauit; miſerat enim eos tantùm cum Legationis Bulla, ſed de eorum facultate, & inſtructione ad aliud tempus rem diſtulerat. Fuit facultatis Bulla ſatis plenaria & vniuerſalis: deinde per aliam dedit poteſtatem prorogandi, terminandi, & transferendi Concilium.

Acceſſerunt Cardinalis à Monte, & Cardinalis Ceruinus Tridentũm die 13 Menſis 1545
 Martij

Martij Anno Salutis 1545. à Cardinale Tridentino honorificè excepti. Primi verò omnium ex Epiſcopis adfuerunt Concilio, Thomas Campegius Feltrienſis, Thomas à S. Felice Cauenſis, & Cornelius Muſſus Bitontinus Epiſcopi. Acceſſit, deinde Don Didacus Mendoza Cæſareus Orator, qui etiam apud Venetos eius nomine pari munere fungebatur, eúmque ſecutus eſt Ferdinandi Regis Orator. Sed iam Menſe Martio exſpirante, tempore ad inchoationem præfixo, Legati quamuis Patres paucillimi numero erant, aliquid ex Pontifice & Wormatiæ Conuentus exitu exſpectandum decreuerunt. Quæ Wormatiæ in Conuentu acta ſunt, neque Pontifici, & Concilio, neque ipſis Hæreticis placuerunt, cum Cæſar Mediator inter illos poni videretur. Nam ſicut Pontifici videbatur indignum, quod ſibi Cæſar arrogabat in cauſâ Concilij, ita Hęretici fraudem à Cæſare timebant, & Concilio à Pontifice indicto, penitus aduerſabantur.

Porrò mandatum à Pontifice Legati acceperunt, vt quandocunque audirent in Conuentu Wormatiæ de Religione agi ſtatim Concilium aperirent. Legati, quod cognoſcerent ex Wormatiæ Actis, ad id ſe non teneri, imò ex pauciſſimo Epiſcoporum nu-

mero

mero impediri: verentes tamen, ne Ferdinandus pro Contributione aduersùs Turcas obtinendâ, Proteſtantibus fauens, aliū Conuentum, vbi de Religione ageretur, iam antea promiſſum ſtatueret: excuſatione adhibitâ, quod ex Tridentinorum Patrum negligentiâ in Concilio aperiendo hoc euenerit: rem omnē cum ſuis circumſtantijs Pontificem docuerunt. Præterea Tridentinus Cardinalis & Epiſcopus & Princeps illius Ciuitatis, poſtulauit à Pontifice aliquem peditum numerum pro cuſtodiendâ Ciuitate, non ſatis tutâ inter aduenarum & præcipuè proteſtantium turbas, ſibíque ad id ſumptus deeſſe cauſatus eſt.

Pontifex maturè rebus expenſis, reſpondit Conciliū aperiendum ad diem Feſtū Sanctæ Crucis; ad Cardinalem autem Tridentinum reſcripſit armatorum præſentiam Concilij libertatem ſuſpectam reddere: Conciliū ac Ciuitatem Tridentinam ſibi curæ eſſe, séq; eorum incolumitati conſulturum. Idem attulit Cardinalis Farneſius illac tranſiens, & per Wormatiam ad Cæſarem pergens. Cum quo Legati conſultatione initâ, ſtatuerunt interim Concilij inchoationē euulgare, abſque præfixi diei determinatione. Cæterum omnia ad Cæſaris mentem fiebant, ob plurimas beneuolentiæ voces, quæ ex illo ferebantur.

Interim Prorex Neapolitanus indixit illi-lius Regni Epiſcopis, vt quatuor tantùm ex his ab ipſo eligendi, ad Concilium pergerēt, qui cæterorum partes ſuſtinerent. Id ſatis moleſtè tulerunt Epiſcopi Concilium adire cupientes, & Pontifici obtemperare, vt iure-iurando promiſerant. Quare Pontifex editâ Bullâ ſub grauiſſimis pænis hoc prohibuit, & Legatos monuit, vt tales Epiſcoporum Procuratores non admittantur. Die 3. Maij, vt ſperabatur, non potuit inchoari Concilium, ſed tantùm Congregatio habita eſt, in quâ actum de his, quæ ad ordinem & Concilij Cerimonias ſpectant. De Inchoatione verò exſpectandum Farneſij reſponſum. Acceſſerunt eâdem die quàm plurimi Epiſcopi, & Cardinalis Polus tertius Legatus.

Die 16. Maij Cæſar & Farneſius Wormatiæ conueniunt. Hic Concilij inchoationem proponit, cui, ſi Proteſtantes obtemperare nollent, armis coercendos, quâ in re Pontificem Cæſari adiumento fore promiſit. Doluit de Neapolitani Proregis decreto, de Epiſcopis non mittendis, & de alio Conuētu Religionis causâ indicto maximè inſtante Concilio. Cæſar de Concilio aperiendo ſatis incerta, & quaſi per ambages, reſpondit; de Proregis decreto dixit, hoc factum ſe inſcio, illum hâc de re percontaturum; de

Conuen-

Conuentu nihil. Cęterum licet de bello occultè admodum actum ſit, Proteſtantes tamen varijs argumentis cognouerunt, aduersùs eos arma parari.

Augebatur interim Epiſcoporum numerus, & tamen omnia tabeſcebant otio; & data eſt occaſio dubitandi. Nam Cæſareus Orator ad ſuum munus Venetias redierat: incertum an ſponte, an Cæſaris juſſu? curatum eſt interim, vt Proteſtantes ad Concilium irent, ſaltem ad dicendum cauſam, quare à Concilio exempti eſſe deberent. Proteſtantes verò Concilium reſpuebant, eorum cauſam à Leone X. iudicatam iam fuiſſe dicebant. Epiſcopos idem ſemper iudicaturos. Se Concilium velle, ſed tale, vt in eo, vel & ipſi ſententiam ferrent, vel vt ex vnâ parte eſſet Pontifex, cum ſuis: ex alterâ ipſi diſputantes inuicem: Iudices verò eſſent Cæſar, & alij Principes, qui iuxta Sacras literas judicarent, vt alibi eſt dictum.

Quam de non accipiendo Concilio deliberationem, Proteſtantes Wormatiâ diſcedentes declarauerunt libello publicè edito. Statuitur ergo Ratisbonæ Conuentus, atq; in eo Colloquium de Religione. Quod acerbè Romæ ac Tridenti à Patribus eſt auditum: qui otiosè manentes, & ſe neglectos putantes, atque hoſpitij incommoda mole-

ſtè ferentes, vel fictis, vel veris de cauſis, nonnulli abſque Legatorum licentiâ, magnâ ex parte diſceſſerunt. Sed apud Cæſarem ſuſpenſa omnia erant, qui & à Proteſtantibus pecuniam, & à Pontifiee auxilia obtinere ſperabat: vnde & Proteſtantibus Colloquia concedebat, & propter deſideratum Concilij exitum Pontifici annuebat. Pontifex verò diuerſimodè angebatur, & libenter ab incepto deſtitiſſet, ſi abſque ſcandalo hoc fieri concederetur; etenim apertè nouerat Concilium hoc pro Germanis conuocatum, nihil Proteſtantibus omninò profuturum.

Tandē Pontifex, ne Conciliū Tridenti nec apertū nec clausū inutiliter videretur: quia tamen dictis de cauſis Cæſari morem gerere cupiebat, miſſo ad eum Caſettano Epiſcopo poſtulauit, vt tandem ſuam patefaceret mētem: an aperiendum, an ſuſpendendum, an transferendum Concilium eſſet? Sed Cæſar, qui ſibi ipſi non conſtabat, inſtante non ſemel Epiſcopo, reſpondit, *Concilium in menſe Octobris aperiendum, vt ibi non de Dogmatibus, ſed de Reformatione agatur.* Reſponſum hoc, licet multas ob cauſas diſpliceret Pontifici, ille tamen reſcripſit Cæſari, ſe Concilium aperiendum mandaturum, in quo Patres ſuo iure vterentur. His vniuerſalibus verbis eſt vſus Pontifex, vt ſi Patres in Concilio

de re-

de rebus Fidei agerent, Cæſari indignanti reſponderet: Patres aliorum Conciliorum vſum ſecutos, quem coarctare conſuetum non ſit.

Verùm Tridentinos Patres de Concilij initio gaudentes improuiſus dolor inuaſit; miſſis enim Epiſtolis, Galliæ Rex ſuæ gentis Epiſcopis indixit reditum. Rei nouitate Patres incerti, tandem Legatis agentibus obtinuerunt, vt Rhemenſis Epiſcopus tantùm ad Regem rediret, vt illius mentem percontaretur. Suſpicio enim erat, Regem ſuis Epiſcopis indixiſſe reditum, quia audiuerat eos otioſos, ac neglectos Tridenti morari. Inſtante apertionis die Legati ſcripſerunt ad Pontificem, vt pro Sedis Apoſtolicæ decore aliam Bullam mitteret de Concilio aperiendo: quæ ſtatim à Pontifice miſſa eſt, & Tridenti in Congregatione lecta. Die igitur 13. Octobris, in quo die Romæ Pontifex Iubilæum euulgauit, vt pro tam graui cauſa Deo preces funderentur, Tridenti Concilium apertum eſt, cuius apertionis ordo talis fuit.

Primò, Tridenti omnes ieiunauerunt, & Pœnitentiæ & SS. Euchariſtiæ Sacramentis firmati diuinam pro Concilio miſericordiã implorauerunt. Facta eſt manè ſolemnis Proceſſiò à Templo SS. Trinitatis ad Cathe-

dralem Eccleſiam præcedentibus Clero, Theologis, Epiſcopis, &c. poſtea Legatis Apoſtolicis, omnibus recto ordine diſpoſitis, & proprijs inſignibus, atque Infulis ornatis: comitantibus præterea illos tum pietatis, tum honoris cauſâ Ciuium, atque aduenarum numeroſâ multitudine. Vbi ad Eccleſiam ventum eſt, Cardinalis à Monte Legatus, Miſſam celebrauit, & Epiſcopus Bitontinus Concionem habuit; lecta deinde eſt Legatorum admonitio, quæ in tomis Conciliorum habetur. Poſtea indictionis & deſignationis Legatorum, & tandem de aperiendo Concilio Bullæ ſunt etiam lectæ.

Quâ lectione abſolutâ Alphonſus Zirolla Cæſarei Oratoris abſentis Secretarius, Cæſaris literas, quas ipſe Orator attulerat, & Legatis iam præſentatas, denuò induxit & inſtitit, vt Cæſari reſcribatur: Oratorem Dominum ſuum excuſando, quod ibi ob valetudinem adeſſe non poſſit. Reſponderunt Legati excuſationem accipiendo: literas ipſas denuò inſpecturos, vt pro Cæſaris Maieſtate matura reſponſio fiat. Poſt hæc omnes genu flexi voce ſubmiſsâ orant. Deinde Antiphonas & Litanias Cardinale à Monte incipiente, & reliquis reſpondentibus, recitant. Diaconus poſtea legit Euangeliũ, *ſi peccauerit in te frater tuus, &c.* & dicto Hymno, *Matthei. Cap. 18.*

Veni

Veni Creator Spiritus, omnibus proprijs in locis ſedentibus, Cardinalis à Monte Decretum proponit dicens: *Placet ne vobis, &c.* Reſpondent, *Placet.* Hercules Serualius Concilij Procurator, iuſſit tabellionem id ponere in Actis. Poſtremò cantatur, Te Deum laudamus. His abſolutis Patres Epiſcoporum inſignibus depoſitis, priuatâ veſte, & præuiâ Cruce, Legatos ad ſua deduxerunt. Similis fuit ordo in alijs ſeſſionibus, ſolemni illâ proceſſione exceptâ. *Seſſio 1.*

Pontifex Nuncio accepto de Concilij inchoatione, & alijs, de quibus Legati Sedem Apoſtolicam conſulebant, Congregationem inſtituit ex Cardinalibus, aliiſque doctiſſimis Viris, ex quorum conſultatione inpoſterum monuit Legatos de rebus agendis.

Die 5. Menſis Ianuarij in Congregatione Tridenti habita exempti ſunt à decimis Epiſcopi in Concilio commorantes, & hoc per Apoſtolicas literas. Sed quia alij & alia petebant, omnia ad Pontificem ſunt delata. Conſultatum eſt de modo procedendi in Concilio, & expedire viſum eſt onera inter ſe diuidere, vt quiſque in Congregatione referat. Dubitatum eſt de inſcriptione apponendâ in Decretis; nonnulli enim volebant, vt opponerentur illa, quæ habentur *1546.*

in

in Concilijs Conſtantienſi & Baſileenſi, in quibus dicitur, Conciliũ vniuerſalem Eccleſiam repræſentare. Verùm huic ſententiæ quàm plurimi Patres cum Legatis ſe oppoſuerunt. Ioannes Salazar, Hiſpanus Lancianenſis Epiſcopus, antiquiſſima Concilia imitanda eſſe dicebat, in quibus nuda Decreta apponuntur. Re autem diligenter conſideratâ: quoniam Concilium hoc contra huius temporis Hæreticos erat, qui præcipuè Apoſtolicæ Sedis aduerſabantur authoritati, viſum eſt opponere in Decretis, *eiuſdem Apoſtolicæ Sedis Legatorum præſidentiam*, & hoc ad confundendam & reprimendam Hæreticorum perfidiam. Quia verò in Decretis poſitum erat, vt rogaretur DEVS *pro Pontifice, & pro Imperatore, & alijs Regibus, ac Principibus Chriſtianis*, Galliæ Patres volebant, vt in particulari poneretur pro *Galliæ Rege*, ſed ad tollendam inuidiam, nihil vltrà eſt factum.

Seſſio 2. Die ſeptimo Iannarij Seſſio celebrata eſt ſine Proceſſione, ſed tantùm Patres vulgari habitu, præuiâ Cruce deduxerunt Legatos de propriâ domo ad Eccleſiam, comitante eos, & Seſſionis locum tuente trecentorum armatorum cohorte: qui eorum præſidio, & cultu ex Tridentinis agris collecti fuerant. In Seſſione hâc interfuerunt præter Legatos

tos & Cardinalem Tridentinum 28. Epiſcopi, tres Abbates Caſſinenſes, & quatuor Generales Ordinum. Inter hos celebris fuit Olaus Magnus Vpſalenſis Archiepiſcopus in Gothiâ. Sedit cum Oratoribus Procurator Cardinalis Auguſtenſis, inde in eodem ordine decem nobiles Cardinalis Tridentini. Adfuerunt viginti Theologi adſtantes. Miſſam cantauit Ioannes Fonſeca Caſtronouienſis Archiepiſcopus; concionem habuit Coriolanus Martianus S. Marci Epiſcopus. Qua abſoluta Patres Pontificalibus ornati perſecuti ſunt reliqua, vt in prima Seſſione. Poſthæc celebrans aſcendens ſugeſtum, ſedentibus Epiſcopis legit Bullam de non admittendis ad vota ferenda aliorum Epiſcoporum Procuratoribus. Deinde lectum eſt decretum de modo viuendi in Concilio: ad quod reſponſum eſt per verbum *Placet*, ab omnibus præter Gallis, qui voluiſſent apponi verba illa, *Vniuerſalem Eccleſiam &c.*

Die 13. Ianuarij in Congregatione diſputatum eſt de rerum agendarum ordine; & quidem qui cum Cæſare ſentiebant, voluiſſent vt primò ageretur de Reformatione, deinde de Dogmatibus; ſed tandem determinatum eſt, vt in quâlibet Seſſione de vtroque ageretur. Hoc poſito conſideratum eſt, à quibus rebus incipiendum. Propoſi-

tum

tum fuit, vt initium fieret ab Hæreſi Lutheranâ,& ſignanter à Confeſſione Auguſtanâ. Et circa hoc diſputatum fuit, an etiam ſint determinanda ea, quæ in dictâ Confeſſione habentur, in quibus Catholici cum recentibus Hæreticis conueniunt, & ſolum in modo loquendi differunt? Hæc præcipuè erant de Sanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis Myſterijs: quibus Hæreticorum loquendi formulis aſſentiri periculoſum erat, ſed eas reprobare alijs vocibus vtendo, videbatur inutile. Cardinalis Polus, quem omnes ſecuti ſunt, pro his incommodis vitandis, dixit *in futurâ Seſſione ponendum Symbolum Nicænum, in quo hæc duo Myſteria rectè & modo in Eccleſiâ ſemper recepto explicantur*; vt ſi qua eſt circa hoc in *verbis Hæreticorum à Catholicâ veritate diuerſitas, antiquiſſimæ Synodi authoritate damnetur.*

Seſſio 3. Die igitur quarto Februarij celebrata eſt Seſſio 3. Miſſam cantauit Petrus Tagliouia Archiepiſcopus Panormitanus, concionem habuit Ambroſius Catherinus Ordinis Prædicatorum, Decretum legit Archiepiſcopus Turrianus. Ad verbum *Placet ne*, reſponſum eſt affirmatiuè, exceptis aliquibus, quò ad leuiora. Hoc tempore Lutherus moritur, cum iam ad multos ſuæ nationis Principes pertranſiſſet Hæreſis. Ratisbonæ Col-

Lutheri mors.

loquium

loquium de Religione proponitur, ſed timentibus Catholicis Hæreticorum fraudes, ſub initium euanuit. Et Cæſar Ratisbonam veniens dolet de Colloquij diſſolutione; ſed iam omnia ad arma tendebant. Poſt celebratam Seſſionem Legati acceſſerunt ad proponendum de Scripturis Canonicis, & circa hoc ex Lutheri ſcriptis quatuor eruerunt errores. I. aduersùs Traditiones. II. aduersùs aliquos libros ex veteri & nouo Teſtamento. III. aduersùs Verſiones conſuetas in Eccleſia. IV. aduersùs Gloſſas.

Hæc omnia tradita ſunt Theologis perpendenda, quibus etiam commiſſum eſt, vt videant de abuſibus circa verba Sacræ Scripturæ. In quatuor ſequentibus Congregationibus, diſputatum eſt circa duos primos Articulos, & quidem circa I. Satis longâ oratione dictum eſt pro Traditionibus, atque probatum eſt, *Chriſtianam Religionem partim ex Sacrâ Scripturâ, partim ex Traditionibus pendere. Imo & ipſam Sacram Scripturam ex ſola Traditione haberi.* Ita concluſum eſt omnium conſenſu, quamuis duo ex Theologis quandam diſtinctionem adiungerent, qui cum ſtomacho ab omnibus auditi ſunt. Circa II. dictum eſt, *illos libros, vt Canonicos accipiendos, qui ab aliјs Concilijs recipiuntur, & quibus Romana Eccleſia vtitur.*

Tres

Tres tamen fuerunt loquendi modi. Tertius hic, vt verus & certus recipitur.

In alijs ſequentibus Seſſionibus diſputatum eſt circa III. & IV. & determinatum eſt, quod Eccleſiæ authoritas, & ratio ipſa docebat; adiuncta ſunt, & alia de interpretatione & abuſu Scripturæ? Acceſſit hoc tempore ad Concilium D. Franciſcus Toletus Cæſareus Orator, & D. Didaci Mendoza Collega. Euenit etiam Petri Pauli Vergerij Iuſtinopolitani Epiſcopi caſus, de quo ſupra dictum eſt. Hic ſuſpectus de Hæreſi, & ſuæ plebi inuiſus Concilium adijt, vbi non recipitur, niſi factâ prius relatione ad Pontificem. Ipſe verò aſſertâ ſpe quietis & pacis cum plebe ſua, Venetias reuerſus eſt; ibi ab Apoſtolico Nuncio factus reus, vel indignatione, vel rerum conſcientia motùs fugiens, Italiam ac Fidem Catholicam ſimul deſeruit. *Seſſio 4.* Rebus igitur vt ſupra bene determinatis, die octauo Aprilis celebrata eſt Seſſio quarta, cantante Miſſam Archiepiſcopo Turriano in Sardiniâ, & concionante GeneraliOrdinis Seruorum, à quo lectum eſt Decretum.

Celebratâ Seſſione, quoniam ad Dogmata tranſeundum erat, Pontifex monuit Legatos, vt in Concilio nihil ſtatuerent, quod eſt controuerſum inter Catholicos Pro ſequenti

quenti

quenti Seſſione Hiſpani Patres inſtiterunt, vt ageretur de Reformatione,ſignanter quo ad Concionatores & Lectores: occaſione oblatâ quod in præcedenti Seſſione actum ſit de his, quæ pertinent ad Sacram Scripturam. Hoc ſicut Cæſaris voluntate fiebat, ita vrgente Cæſaris Oratore alios Cæſari adhærentes Epiſcopos inuaſit. De hoc non ſemel ſcriptum eſt ad Pontificem, à quo reſponſum eſt: vt vltra procederetur ad Dogmata, habito tamen reſpectu, vt ſimul de Reformatione ageretur; vt ſtatutum jam fuerat.

Legati interim pro rerum grauitate in varias Congregationes onera diuiſerunt. Pro Dogmatibus inſtituta eſt Congregatio pro Reformatione; adiuncti ſunt Canoniſtæ,qui omnes ſuas ſententias ferrent in ſcriptis. Hæc Congregatio fiebat coram Legatis, in quâ tamen poterant accedere Epiſcopi non quidem ad vota ferenda, ſed ad audiendum. Hæ ſententiæ traditæ in ſcriptis ad Epiſcoporum Congregationem tranſibant, qui Doctrinam reducentes ad capita ad aliam Congregationem mittebant, in qua quidquid determinatum fuerat,in Seſſione euulgandum ſeruabatur. Pro tollendis abuſibus quo ad Concionatores, & Lectores ſumma fuit difficultas, & diſputatio, præcipuè pro-

pter Priuilegia Regularium: *opponentibus Epiſcopis, quod per Priuilegia Regularium ſublatum illis fuerit ius, quod ſemper ab initio Eccleſiæ habuerunt.* Contrà verò Ordinum Generales aſſerebant, *creſcente Eccleſiâ creſcere etiam laborum pondus: vnde neceſſe fuerat, vt Regulares mitterentur in ſubſidium Epiſcopis, qui alijs curis intenti, concionandi, & legendi munus obire non poterant.* Scriptum eſt ad Pontificem, à quo reſponſum eſt, *vt cum vtriſque mitius ageretur.*

His abſolutis ad Dogmata ventum eſt, quamuis magnâ cum difficultate. Etenim denuo Hiſpaniæ Epiſcopi, duce Petro Paceto Gienenſi Epiſcopo, qui non multò antea Cardinalatus Infulas acceperat, inſtiterunt, ſed fruſtrà, vt de Reformatione tantùm ageretur. Fuerunt igitur quidam Articuli de peccato originali Theologis ad perpendendum propoſiti, pro quorum reſolutione Theologi in varijs Congregationibus referentes ſtatuerunt, Adæ peccatum *ſimpliciter loquendo fuiſſe inobedientiam, quamuis in particulari deſcendentes, alij dixerunt Superbiam fuiſſe, alij Gulam, alij Infidelitatem; nam Mors, Concupiſcentia, diuina indignatio, & ſimilia non ſunt peccata, ſed pœna peccati:* Et ſatis circa hoc diſputatum eſt inter Thomiſtas, & Scotiſtas.

Peccatum Originale.

Con-

Controuerſum deinde eſt: quomodo Adæ peccatum transfuſum fuerit in poſteros, & tandem ſecundum Scholaſticorum ſententiã reſponſum eſt, fieri ex natura corrupta, ideſt ex carne, quæ etiam afficit animã, quæ eſt forma Corporis. Sicut vas malè olens afficit etiam liquorem, qui illi infunditur. Et quidem Theologi, licet in his explicandis viderentur diſcordes, attamen in damnandis Hęreticorum erroribus, concordes fuerunt.

Primò igitur damnatus fuit error dicentium: *Peccatum Adæ non fuiſſe transfuſum in poſteros, niſi quo ad pænas, & in Corpus tantum; ſicut in Concilio Palæſtino contra Pelagium definitum fuerat.*

II. Damnati ſunt dicentes, *peccatum Adæ tranſiſſe in poſteros non propagatione, ſed imitatione tantùm.*

III. Circa illam Hæreticorum propoſitionem, *originale peccatum eſſe inſcitiam, contemptum Dei, eſſe timorem ſine amore diuino cum concupiſcentiâ, & ſimilibus malis deſiderijs,* hoc etiam abſolutè damnatum fuit, quia hęc non poſſunt cadere in pueros ante vſum rationis, neque ſemper in adultos. Quod addebatur, *peccatum originale eſſe Corruptionem voluntatis in anima, & corpore, dictum eſt, ſi nomine corruptionis intelligitur priuatio rectitu-*

dinis, eſſe hoc tolerabile, contrà verò, ſi intelligatur aliquid poſitiuum.

IV. Aduerſùs dicentes in *Infantibus ex naturâ corruptâ eſſe inclinationem ad malum, quæ accedente vſu rationis efficit auerſionem à diuinis, & propenſionem ad terreſtria, & hoc eſſe peccatum originale*, dictum eſt, *hoc eſſe falſum, quia hoc non eſt peccatum, ſed pœna peccati.*

V. Damnata fuit propoſitio dicentium, *Infantes ex baptizatis parentibus natos, etiamſi in remiſſionem peccatorum baptizentur, nullum habuiſſe peccatum originale.*

VI. Similiter damnati ſunt dicentes, *peccatum originale per Baptiſmum, tantùm radi, non amputari, aut in hâc vitâ ſolum imminui, & in æternâ vitâ totaliter tolli.*

VII. Damnati etiam ſunt aſſerentes, *hoc quod remanet de peccato originali poſt Baptiſmum, impedimentum moliri homini, quoad ingreſſum in Cælum.*

VIII. Etiam damnati ſunt dicentes, *Concupiſcentiam, quæ fomes dicitur, & poſt peccatum remanet, eſſe peccatum.*

Factâ relatione hâc per Theologos, deputati ſunt Patres in Theologiâ verſati, qui decreta conderent; remanſit tamen dubium poſitâ hâc Doctrinâ, quid dicendum de Immaculata Virgine Maria. Ob id ſcriptum

eſt

eſt ad Pontificem, qui ſicut antea monuerat, nihil definiendum, quod controuerſum ſit inter Catholicos, reſpondit: *Quæſtionem hanc indeciſam relinquendam eſſe*, quod omnium conſenſu eſt factum.

Die igitur 13 Menſis Iunij celebrata eſt Seſſio quinta, in quâ Miſſam cantauit Hieronymus Piccolomineus, Placentinus Epiſcopus. Concionem habuit Frater Marinus Laureus Dominicanus; lecta ſunt Decreta de Dogmatibus, & de Reformatione, fruſtra ſe opponente Oratore Cæſareo. Antequam facta fuiſſet futuræ Seſſionis indictio, lectæ ſunt Regis Galliæ literæ, qui ad Concilium Petrum Panetium ſuum Oratorem mittebat. Hic eleganti oratione ſui Regis, atque Anteceſſorum obſequium erga Sedem Apoſtolicam teſtatus eſt. Cui per Herculem Sarrauallum Concilij Secretarium, fuit officioſè reſponſum. Cæſar interim videns, Proteſtantes nullo modo ad Concilium inclinatos, imò inſolita petendo eius authoritatatem contemnere, miſſo ad Pontificem Cardinale Tridentino, egit de fœdere ineundo, & expeditione parandâ aduersùs illos. *Seſſio 5.*

Sed Tridenti prima die poſt celebratam Seſſionem lectũ eſt per Secretarium ſcriptũ quoddam, in quo proponebatur, vt poſt determinationem de peccato originali conſe-

quenter ageretur de diuina gratia, quæ medicina eſt aduersùs peccata. Epiſcopi, qui Cæſaris partes ſectabantur, dixerunt, *rem eſſe grauem, nec tam citò determinandam, exſpectandum exitum legationis Cardinalis Tridentini ad Pontificem, interim de Reformatione agendum.* Cæteri verò inſtabant, *vt aquâ lance ſicut decretum fuerat, ſimul de Dogmatibus, & de Reformatione ageretur.* Addentes, *Tridentini Cardinalis Legationem, nihil ad eos pertinere, quibus Eccleſiaſtica res, non principum arcana inueſtiganda proponebantur.* Legati inter eos ferè medij, ſtatuerunt, *agendum quidem de Reformatione; interim tamen nihil obſtare, quin Dogmata quædam de Iuſtificatione, & Gratia, Theologis perpendenda tradantur.*

Pro Reformatione propoſitum fuit, de Epiſcoporum aliorúmque Curatorum reſidentiâ. Et quidem Cardinalis à Monte graui oratione Epiſcoporum reſidentiam commendauit, commemorans, *bona, quæ ex Epiſcopi Reſidentia oriuntur, & mala, quæ ex eius abſentiâ contingunt.* Eius Sententia probata fuit à multis per ordinem loquentibus, donec ventum eſt ad Iacobum Corteſium Vaſionenſem Epiſcopum. Hic ſatis liberâ oratione laudauit quidem Epiſcoporum Reſidentiam, vt vtilem & neceſſariam, ſed queſtus eſt, *Reſidentiam hanc impediri exemptorum*

rum

rum Priuilegiјs, qui Epiſcopalia munia exercentes, & Epiſcopi authoritatem contemnentes, inducunt in tale diſcrimen Epiſcopos, vt ſatius illis videatur cōmiſſos ſibi greges exemptis relinquere, quàm eum eis ſectari contentiones, & lites. Ex eorũ exemptorũ in concionando libertate, Lutheri Hæreſes aliorúmque eſſe ortas. Concludit *Reſidentiam quidem reſtituendam, ſed cum reſtitutione Epiſcopalis Dignitatis.* Hanc ſententiam ſecuti ſunt omnes, qui poſteà locuti ſunt; quare Legati omniũ conſenſu ſtatuerunt, *vt quiſquis excogitet, & liberè referat, quidquid pro commodiori Epiſcoporum Reſidentia faceret.*

Viſum poſtea eſt de Dogmatibus, & quidem circa hoc aliqui voluiſſent, vt ex his, quæ ad diuinam Gratiam ſpectant tantùm quædam vniuerſalia, & præcipua examinentur & ſtatuantur: atque ex eorum determinatione reliqua etiam determinata intelligantur. Conſultius tamen viſum eſt, omnes Hæreticorum aſſertiones ſingillatim examinare, & iuxta propriam cuiúſque qualitatem ſententiam ferre. Fuerunt igitur viginti quinque Lutheri aſſertiones traditæ ad examinandum, & quadraginta quinque Theologis diſtributæ, inter quos anteſignani fuerunt Ambroſius Catherinus, & Dominicus Soto ambo ex Dominicana Familia, ſed ſatis inter ſe aduerſi.

Dum hæc Tridenti aguntur, Cæſar inito fœdere cum Pontifice, aduersùs Saxonem, & Landgrauium arma conuertit, qui ex Proteſtantibus maximè omnium eius authoritatem ſpernebant. Cæſar verò timens, ne in tanto armorum tumultu Côcilium diſſoluatur, per literas, & per ſuum Oratorem Pontificem docuit, *ſe pro Concilij ſecuritate ſumma diligentiâ curaturum.* Pontifex autem, vt Cæſari morem gereret, ſcripſit ad Legatos, ne ad Seſſionem celebrandam accederent, niſi poſt eius hâc de re literas, neque vnquam de Concilio diſſoluendo ageretur. His literis acceptis Legati, quoniã iam ſatis de Iuſtificatione, & Gratiâ diſputatum fuerat, propoſuerunt Theologis interim examinandos Articulos ſex, *de Libero hominis* arbitrio, quibus poſteà additi ſunt alij octo *de Prædeſtinatione.*

De examinatis verò definitiones ſeu Canones per Epiſcopos condèbantur. Quâ in re, vt Canones iſti clariores euaderent, ac ſimpliciori ſtylo formarentur, ex Concilio Iacobi Coccei Corcyrenſis Epiſcopi, prius poſita fuit Doctrina de rebus determinandis, longâ oratione explicata per varia capita, & deinde ex illâ facti ſunt Canones ſub breui & ſimplici formâ; vt hoc modo Canones per propoſitam Doctrinam explicarentur ſublatis limitationibus, aut clauſulis,

quæ

quæ non ſine aliquâ perturbatione pro illorum explicatione opponendæ eſſent. Qui ordo ſeruatus ferè in omnibus alijs Decretis de rebus Fidei. In his autem definitionibus condendis ſatis enituit Cardinalis Cencini diligentia ac pietas. Facta fuerunt præterea Decreta aliqua pro Epiſcoporum ac Parochorum Reſidentiâ, & Epiſcoporum authoritate ſuper exemptos.

1547.

Sed iam deuictis hoſtibus à Cæſare, & in deditionem acceptis, cum omnia quieſcerent, Pontifex reſcripſit ad Legatos, vt de iam determinatis Seſſio celebraretur. Quare die quarto Ianuarij 1547. in Congregatione indicta eſt Seſſio ſexta ad diem 13. eiuſdem menſis; in eâ Miſſam cantauit Archiepiſcopus Spalatrenſis, & Concionem habuit Thomas Stella Epiſcopus Salpienſis. Pro Seſſione futurâ propoſitum fuit agendum *de Sacramentis in genere*, atque etiam *de Baptiſmo & Confirmatione*. Et quidem pro tollendis contentionibus inter Theologos, diſtributi ſunt per ſingulos eorum quidam Articuli in ſcriptis, vt in eodem folio eorum cenſuram apponerent. Articuli verò eruti ex Hæreticorum libris fuerunt *de Sacramentis in genere* 14. *de Baptiſmo* 17. *& de Confirmatione quatuor*. Pro Reformatione etiam viſum eſt de Epiſcoporum quiete, & commodiori Reſidentia.

Seſſio 6.

 Omni-

Seſſio 7. Omnibus autem his ritè conſideratis, atque perpenſis formata fuerunt Decreta, euulgata die 3. Martij in Seſſione, quæ fuit in Ordine ſeptima; in qua Miſſam cantauit Iacobus Coccæius Epiſcopus Corcyrenſis,& concionatus eſt Hieronymus Diui Marci Epiſcopus. Poſt hæc ex aëris intemperie, & Seſſio 8. peſtilentiali morbo viſum eſt Patribus Concilium transferre Bononiam;factâ igitur Medicorum conſultatione,& omnibus ad id neceſſarijs conditum eſt Decretum de Translatione. Lectum in Seſſione octaua die 13. Menſis Martij. Cui Decreto omnes reſponderunt, Placet, præter 17. Epiſcopos cum Cardinale Paceco. Quo facto Patres cum Legatis, præuia Cruce perrexerunt Bononiam, remanentibus Patribus illis cum Cardinali prædicto in Tridentinâ Vrbe ad nutum Cæſaris. Et licet per literas à Legatis ad Cõcilium inuitarentur, Galeatio Floremonte Aquilano Epiſcopo excepto, Bononiam accedere, vel Tridento diſcedere noluerunt. Bononiæ per Concilium ob multorum Theologorum aſſenſum nihil determinatum, ſed tantùm de prorogatione Seſſiones aliquæ ſunt celebratæ.

Sed Cæſar, qui fruſtra interim laborabat, vt Proteſtantes Concilio ſe ſubmitterent, & incommodam ad ſua vota iudicabat hanc

Concilij ad Bononiam translationem, Tridentinum Cardinalem ad Pontificem mittit, vt cum eo agat de reſtituendo Concilio apud Tridentum. Proteſtantes enim Cæſaris victoris arma timentes, tandem quamuis fictè, & ambiguè, ſe Concilio obtemperaturos dicebant. Pontifex Cardinali Tridentino reſpondit *de Reſtitutione hac in Conſiſtorio agendum cum Cardinalibus.* Quare poſt aliquot dies idem Cardinalis Tridentinus in Conſiſtorio tria propoſuiſſe fertur, Primum, *de Concilio reſtituendo Tridentum.* Secundum, *vt Pontifex vnum vel plures Legatos cum plenitudine poteſtatis ad Cæſarem mittat, quò quies aliqua in Germania ſtatuatur vſque ad abſolutionem Concilij.* Tertium, *vt Pontifex quæſtionem determinet, an ſi caſus tulerit, vt manente Concilio vacaret Apoſtolica Sedes, ad Cardinales potius, an ad Concilium pertineret noui Pontificis electio?* hoc vltimum propoſuiſſe dicitur, vt Pontifex de ſuâ decrepita admoneretur ætate. Pontifex maturo Concilio ſe reſponſurum dixit. Quare Cardinalis Tridentinus relicto apud Pontificem D. Didaco Mendoza, ipſe Auguſtam ad Cæſarem reuerſus eſt.

Sed Mendoza poſt aliquot dies in publico Conſiſtorio, in quo omnibus intereſſe licebat, Pontificem allocutus eſt idem petendo: addens,

addens, *ſi Pontifex in Concilio reſtituendo moram, aut excuſationem interponeret, ſe etiam proteſtationem interpoſiturum de illegitimo Concilio apud Bononiam.* Reſpondit Pontifex, *ſe prius velle à Patribus Bononiæ commorantibus reſponſum accipere, ac iura perpendere, & rem omnem cum alijs Regibus & Principibus Chriſtianis communicare.*

Aderat ibi nouus Cardinalis ex Guiſianâ Familiâ ſummæ nobilitatis apud Gallos, pro cuius Cardinalitijs infulis conferendis publicus ille Cardinalium Conuentus fuerat inſtitutus. Hic auditis Mendozæ verbis, Pontificíſque reſponſo (dubium eſt, an oblatâ, an meditatâ occaſione?) ſatis ingenuè atque audacter de ſui Regis Henrici (qui paulò antè mortuo Franciſco patre in Regno ſucceſſerat) animo, & integrâ in Pontificem fide locutus eſt, atque illi omnes eius vires pollicitus, vt Apoſtolica Sedes cuius authoritatem eo tempore homines impij opprimere, & euertere nitebantur, in ſuo robore & firmitate permaneat.

De omnibus his Pontifex monuit Cardinalem à Monte, indicens illi, vt habitâ cum Patribus conſultatione reſpondeat, quid ſentiat de reuertendo Tridentum? Cardinalis conuocatis Patribus rem omnem exponit, atque omnium conſenſu Concilij nomine

reſpon-

reſponſum Pontifici eſt redditum: *ſe cum decore Tridentum redire non poſſe; eo quod nonnulli ex Epiſcopis ſpernentes eius de Translatione Decretum, communi omnium ſcandalo remanſerint Tridenti, quaſi ipſi Concilium facere voluiſſent. Patres ergo illi prius Bononiam veniant, ac ſe Concilio congregent; & deinde agendum de repetendo Tridentum.* Addebatur præterea, *quod cum pro Germanis ſit Concilium hoc inſtitutum, par eſſe, vt gens iſta Concilij Decretis factis & faciendis ſe ſubmittat: periculum fore, ne ſi Concilium hiſce de cauſis reuertatur Tridentum, contentioſum & populare fiat, & iuxta proteſtantium voluntatem. Quare diligenter curandum, vt Concilium celebretur iuxta ordinem & ritum obſeruatum ab Apoſtolorum temporibus, vſque ad hunc diem: vt Patres liberè conuenire, & diſcedere valeant, & iuxta ſuum placitum Concilium vel transferre, vel abſoluere poſſint.*

His literis acceptis Pontifex, & re cum Cardinalibus communicata, Mendozæ ad ſe vocato Concilij ſenſum aperuit; addens, hoc etiam reſpondere Cæſaris & Ferdinandi petitionibus, ipſi enim reuerſionem hanc pro Nationum commoditate, atque Eccleſię libertate faciendam volunt. Mendoza his auditis, licet iratus, proteſtationem tamen, quam paratam habebat, non propoſuit: ali-

quibus Cardinalibus hortantibus, vt prius hâc de re ſcribatur ad Cæſarem.

Cæſar his literis acceptis Franciſcum Vargam, & Martinum Velaſcum Bononiam mittit, vt ſi quâ viâ poſſet, Concilium Tridentū reduceretur: obtulerunt iſti Patribus ſuæ Legationis literas, quarum inſcriptio erat, *Conuentui Patrum Bononiæ.* Poſt literas traditas Vargas ipſe locutus eſt ad Patres. Verùm ſub ipſius ſermonis initio à Cardinale à Monte Legato interpellatus eſt, dicente, quod licet literæ illæ non ſpectent ad Patres, neque enim hunc eſſe qualemcunque Conuentum, ſed Concilium Generale: ſe tamen conſentire, vt ſine præiudicio à Patribus Legati audiantur. Vargas proteſtatione in ſcriptis poſtulatâ blandis verbis Patres ad Cæſaris voluntatem pellicere eſt orſus. Verùm indignatus Cardinalis à Monte eius denuò interrupit orationem dicens: *Adſum ego iſtius Sacroſancti Concilij Præſes, & Legatus Pauli Papæ Tertij, qui Succeſſor eſt Petri, & Chriſti Domini in terris Vicarius, ſimul cum his Sanctiſſimis Patribus: ad proſequendum pro DEI Gloria Concilium Bononiam tranſlatum, ſimúlque Cæſarem rogamus, vt conſilium ſuum mutet.*

Inde Vargas legit Cæſaris proteſtationem de nullitate Concilij, Velaſcus poſtulauit, vt illud proteſtationis ſcriptum poneretur

in Con-

in Concilij actis, ſed Cardinalis à Monte ex Patrum Conſenſum negauit, dicens *ſecularia ſcripta cum Eccleſiaſticis non eſſe ponenda, Cæſarem Eccleſiæ Filium, non Magiſtrum, aut Dominum eſſe.* His Romæ auditis, Mendoza Cæſaris Legatus, genuflexus ante Pontificem proteſtationem ſuam legit, de nullitate translationis, & præſentes etiam Cardinales monuit.

In his anguſtijs Pontifex temporum calamitate coactus: pro repellendâ iniuriâ, ad aliud Conſiſtorium vocatum Mendozam monuit de *inobedientiâ eorum, qui tales proteſtationes emittunt, ipsúmque vltra Cæſaris voluntatem in proteſtatione dixiſſe*; memorans ea, *quæ ipſe pro Concilio & Religionis ſtatu reſtituendo feciſſet. Si quæſtio ſit de Translatione Concilij, an legitima fuerit? ſe ſtatuiſſe quatuor Cardinales iudices, qui causâ cognitâ ſententiam ferant.*

Hâc de causâ Pontifex ad Patres Bononiam ſcripſit, vt Romam ſuos Procuratores mitterent; miſit & literas per modum Breuis ad Cardinalem Pacecum, & ad Patres, qui erant Tridenti, quibus ſuam voluntatem, & omnia, quæ ad id pertinebant ſignificauit. Ipſi verò re cum Cæſare communicatâ reſcripſerunt Pontifici, ſuas excuſationes addendo, ſimul & rogando, vt pro Religionis

vtilitate, Patres cæteros ſimul, & Legatos remitteret Tridentum ad proſequendum Concilium. His literis acceptis auditi fuerunt Bononienſium Patrum Procuratores, ſed quia ſententiæ excuſatio aduersùs Patres, qui Tridenti morabantur, ob Cæſaris autoritatem fieri non poterat, cauſa indeciſa remanſit.

Interim. Incidit hoc tempore Cæſaris Decretum, quod *Interim* dicitur. Videns enim Cæſar Proteſtantes ſatis longo interuallo à Catholicâ veritate abijſſe, ita vt impoſſibile crederet de vno extremo ad aliud pertranſire: excogitauit hoc medium inter vtrumque, in quo ſiſterent vſque ad ſolutionem Concilij, quo tempore fortaſſe bene diſpoſiti, tandem ad Catholicam veritatem redirent. Verum humana prudentia ſtultitia eſt apud Deum. Decretum hoc, ſiue *Interim* non ſolùm Pontifici, ac toti Eccleſiæ innumeris de cauſis diſplicuit, verum fuit etiam exoſum, atque inuiſum Proteſtantibus: neque minus Catholici quàm Hæretici ſimul aduersùs hoc *Interim* ſcripſerunt. Saxo Elector etiam in captiuitate conſtitutus acceptare illud negauit, & Magdeburgenſes tali contumelia libellum affecerunt, vt Cæſar Ciuitatem obſidione cingere coactus fuerit, quæ per triennium bellici incēdij ignem nutriuit, & ſuo tempore in ingentes flammas erupit. Edi-

Edidit præterea Cæſar quidem pro Clero Germanico Reformationis formam, in quâ cum multa eſſent, quæ Concilio Baſileenſi fauebant, & Pontificis autoritati opponebantur: Cardinalis ab Auguſta & alij Germaniæ Eccleſiaſtici hâc de re Pontificem edocuerunt, & rogauerunt, vt Legatum aliquem aut Nuntium ad eos mitteret, qui huic malo mederetur: idem ſcripſit Cæſar. Quare Pontifex primò Fanenſem Epiſcopum de re totâ percontatum miſit, deinde addidit Fauentinum & Veronenſem Epiſcopos cum aliquibus gratijs, & abſolutionibus, prout temporum conditio poſtulabat.

Tandem Pontifex & ſenectute, & publicis & domeſticis curis afflictus occubuit. Eius loco ipſe Cardinalis à Monte vniuerſalis Eccleſiæ regimini præficitur, ac Iulius Tertius appellatur. Cæſar, qui eo tempore in inferiori Germaniâ morabatur, vt ibi patrimoniales Prouincias in Catholicâ veritate firmandas curaret, Iulij Tertij aſſumptione auditâ Aloyſium de Auilâ ad gratulandum miſit, ſimúlque petendum, vt Concilium reuocaret Tridentum: quod ille, & cum Cardinali Paceco, & alijs Cæſaris Miniſtris efficaciter egit. Pontifex pro rei grauitate aliquãtulum immoratus, tandem magis magíſque Cæſaris nomine inſtantibus illis Congrega- 1549. *Iulius III.*

tionem inſtituit ex Cardinalibus, aliiſque Præſulibus, quibus rem omnem commiſit.

Congregatio hæc rebus per ordinem conſideratis, Pontifici reſpondit Tridentinum Concilium reſtituendum, tum quia ita in Conclaui ante Aſſumptionem iuratum ab eo fuerat, tum etiam quia nec Bononiæ cum aliqua Eccleſiæ vtilitate celebrari poterat Cęſare, aliiſq; Germaniæ Eccleſiaſticis contradicentibus, nec ſine ſcandalo iam inchoatum omitti. Verum circa Concilij celebrationem prius perpendenda proponebantur hæc quatuor. Primùm, *vt negotium communicetur cum Galliæ Rege, qui ob ſimultates cum Cæſare non ſine aliquâ difficultate ſuarum Prouinciarum Epiſcopos ad Concilium mitteret, cum Tridentum ſit Ciuitas Romano Imperio obediens.* Dubitabatur præterea, ne in ipſis de ReformationeDecretis, aliquid Eccleſiæ Gallicanę contrarium ſtatueretur. Secundùm erat, *quid agendum pro Epiſcopis pauperibus diu otioſè, vt antea euenerat, in Concilio morantibus?* Tertium erat, *quid dicendum de Decretis iam factis? etenim inconueniens videbatur denuo illa in examen vocare.* Vltimum erat, *quid ſi Patres in Concilio Baſileenſium audaciam imitarentur, maximè, ſi principum commoda, & multorum ambitio cum Hæreticorum perfidiâ coniungerentur.*

Adhæc

Adhæc Cardinalis Creſcentius primus omnium dixit, *non ob id Concilium prætermittendum, cum neceſſarium omnino ſit, perficere quod fuit ſemel inceptum.* Cæterum quoad tria prima non erit difficile prouidere. Quo ad vltimum id ſignificandum Cæſari, & vbi humanæ vires non valebunt, cauſam Deo relinquendam. His ita conſtitutis Pontifex miſit Epiſcopum Sipontinum ad Cæſarem, & Tolonenſem ad Galliæ Regem, vt ambos de Concilio Tridentum reuocando edocerent. Cæſar Nuncium lætus audiuit, qui in mandatis habebat, vt quatuor illa iam dicta capita Cæſari proponeret. Is ad primum reſpondit, *ſe pro Gallicorum Epiſcoporum ſecuritate quocunque Fidem publicam promiſſurum.* Ad ſecundum dixit, *omnia parata eſſe: Epiſcopos nunquam otioſè commoraturos.* Ad tertium, *de hoc Patres in Concilio conſultaturos.* Ad vltimum, *omnem ſuam autoritatem & vires pro Sedis Apoſtolicæ dignitate pollicitus eſt, atque operam daturum, ne quid inſolens in Concilio agatur.*

Cæſar in Conuentu Auguſtæ rem proponit, quæ ſicut fuit Catholicis gratiſſima, ita Proteſtantibus odioſa, dicebant enim, *ſe illi Concilio obtemperaturos, in quo Pontifex, neque per ſe, neque per ſuos præſideret, imò & ſe illi ſubmitteret, & Epiſcopos iureiurando abſolueret,*

ret, in quo etiam Auguſtanæ Confeſſionis Miniſtri votum definitiuum haberent, cum Fide publicâ de non accipienda iniuriâ. His auditis per Nuntij literas, Pontifex licet moleſte ferret, ea quæ in tertio Capite ſuſpenſa relinquebantur, tamen reaſſumptionis Bullam pro Concilio edidit; *in quâ Decreta illa, quæ ſub Paulo Tertio facta iam fuerant, vt certa, & acceptata ſupponebantur.*

Fuit Bulla hæc ad Cæſarem Miſſa in Auguſtæ Conuentum; nam ſi Bulla hæc Germanis placuiſſet, iam Pontifex voti campos fuiſſet, ſin minus, melius hęc in Conuentu, quam in Concilio diſputarentur. Illi qui Romæ Cæſaris partes agebant, vt conſuetum eſt Miniſtris vltra Dominorum ſuorum mentem ſatagere, dixerunt Bullam *iſtam nimis imperioſam eſſe, cum deceret calamitoſis hiſce temporibus mitioribus dicendi formulis vti, quibus Proteſtantes ad Concilium inuitarentur.* Orator Cæſareus Pontificem allocutus nihil profecit; nam Pontifex in ſententiâ firmus, vt omnes cognoſceret, nec iota vnicum ex Bullâ eſſe amouendum: per aliud Breue Metropolitanis indixit, vt illius Breuis, & Bullæ exempla Typis data ad ſuos Suffraganeos mitterent, ne ignorantia excuſarentur, quo minus ad Concilium properarent.

Sed Cæſar iam rerum certus, vt Proteſtan-

tium leniret animos dixit, *Bullam iſtam ad omnes Chriſtianas nationes pertinere, ſuper quas Pontifex habet imperium; verùm, non ob id Proteſtantes à Concilio alienos eſſe debere.* quare in ipſius Conuentus receſſu concluſum eſt, vt omnes Proteſtantes ad Concilium irent, ibíque liberè ſuam cauſam agerent. Elegit Pontifex, vt Concilio eius nomine præſiderent, Cardinalem Creſcentium Legatum, & duos Nuntios, Sebaſtianum Pighium Archiepiſcopum Sipontinū, & Aloyſium Lippomannum Veronenſem Epiſcopum, quos ſtatim ad iter faciendum Tridentum verſus paratos eſſe voluit.

Verùm inter Cæſarem & Galliæ Regem orta diſſidia: & Octauius Farneſius, qui Parmam habebat Eccleſiæ nomine à Pontifice, timens ne à Cæſare expelleretur qui Ciuitatem illam, vt Mediolanenſi Ducatui adhærentem habere vellet: ad Gallicas partes ſe conuertit; ſed Cæſare inſtante Pontifex Octauium in iudicium vocauit, eo quod in Eccleſiaſticum feudum induxerit extraneos. Hâc de re Galliæ Rex queſtus eſt cum Pontifice, ſuíſque indixit Epiſcopis etiam illis, qui Romæ erant, vt ad ſuas Eccleſias redirent, ibíque ad Nationale Concilium pararentur.

Factæ ſunt hinc inde Legationes, quæ cum

nihil proficerent, facta eſt à Galliæ Rege per ſuum Oratorem Romæ aduersùs Tridentinum Concilium Proteſtatio. Sperabat ſiquidem Rex, ne Concilium impediretur, Pontificem omnia ad ſua vota facturum.

His tamen non obſtantibus inceptum eſt Concilium Calendis Maij, cum iam antea Legatus ac Nuntius perueniſſent Tridentum.

Seſſio 11. Celebrata eſt igitur Seſſio in Ordine vndecima Archiepiſcopo Turriano celebrante Miſſam. Lecta eſt à Secretario Bulla reaſſumptionis Concili; poſt hæc celebrans interrogauit Patres per verbum *Placet?* qui reſponderunt *Placet.* Interim Mauritius Saxoniæ Elector, & Chriſtophorus Wirtenbergenſis Dux, vt Cæſari morem gererent, ſuos Pſeudoctores conuocant, ac monent vt ea colligant, quæ in Concilio proponenda eſſent. Scripſit Saxo ad Cæſarem, vt obtineret à Concilio Fidem publicam, ſeu Saluum conductum pro accedentium ſecuritate. Miſit Cæſar ad Concilium ſuos Oratores, Hugonem Comitem à Montfort, D. Franciſcum Toletum, & Guilielmum Campaniæ Archidiaconum; primùm pro Germaniâ, ſecundùm pro Hiſpaniâ, tertium pro alijs Regnis & Principatibus.

Venerunt ad Concilium hinc inde, varij Præſules, & quidem ex Germaniâ Tres Ec-

clesiaſtici

cleſiaſtici Electores, & alij quinque inſignes Epiſcopi, ſed diuerſis temporibus. Cum verò indies Patrum numerus augeretur, celebrata eſt Seſſio in ordine duodecima die primâ Septembris, in quâ fuit Patrum conſeſſus hoc ordine diſpoſitus. Primo loco ſedebat Cardinalis Legatus, deinde Cardinalis Mauritius, poſt hos duo Nuntij, inde Electores Moguntinus, & Treuerenſis, nam Colonienſis nondum aduenerat; ſequebantur Cæſaris Oratores; deinde ſuo ordine Archi-Epiſcopi: Epiſcopi, & alij. Celebratâ Miſsâ Secretarius legit hortationem ad Patres nomine Præſidentium. Poſthæc celebrans legit Decretum de prorogatione Seſſionis. *Seſſio 12.*

Lectum inde eſt Cæſaris Mandatum pro ſuis Oratoribus: deinde aliud Ferdinandi Regis Mandatum pro Oratoribus ſuis, Paulo Gregoriano Zagabrienſi, & Friderico Nauſeâ Viennenſi Epiſcopis: qui verba fecit ad Patres, cui Concilij nomine reſponſum eſt à Ioanne Baptiſtâ Caſtello Promotore.

Apparuit poſtea Belloſanius Abbas, qui proteſtationem aduersùs Concilium & Regis Galliæ literas Patribus obtulit. Erat literarum inſcriptio, *Sanctiſſimis in Chriſto Patribus Conuentus Tridentini.* Patres tali inſcriptione indignati dubitauerunt literas illas accipere; ſed Legatus & Nuntij ſeorſim cum

Cæſaris Oratoribus conſultatione initâ ſta-
tuerunt literas accipiendas, ſed cum præuiâ
proteſtatione dicentes, *cum nomen Conuentus
ſit vniuerſale, & hoc tempore ferè æquiuocum, ſi
nomen hoc ſignificet, quod illa Epiſcoporum Vnio
non ſit legitimum, & verum Concilium, literas
illas, vt illis non directas, non accipi à Patribus.*
Literarum verba ſatis erant mellita, quibus
lectis Abbas proteſtationem ſuam in ſcriptis
recitauit. Reſponſum eſt à Legato laudan-
do Regis modeſtiam, ipſum Abbatem non
recipi, niſi quatenus legitimè agat: ipsíque
indici, vt die vndecimâ Octobris in eodem
loco, ad audiendam reſponſionem accedat.

Immediatè poſt Seſſionem traditi ſunt
decem Hæreticorum Articuli, de Sanctiſſimâ
Euchariſtia Theologis examinandi. Ipſi ve-
rò poſt debitum examen hac ordine reſpon-
derunt. Primò locuti ſunt Theologi miſſi à
Pontifice; ſecundo loco, qui à Cæſare; ter-
tio reliqui iuxta propriam cuiuſque dignita-
tem. Factâ conſultatione ventum eſt ad De-
creta formanda: quâ in re Cæſaris Oratores
rogauerunt Legatos & Nuntios, ne in illis
Decretis poneretur aliquid, quod pertineat
ad Communionem ſub vtrâque ſpecie. Si e-
nim talis definitio fieret, nulla remaneret
ſpes, vt Proteſtantes accederent ad Concili-
um: ſimúlque de Saluo conductu conceden-
do egerunt.

Facta

Facta eſt Seſſio, in quâ celebrauit Miſſam Epiſcopus Maioricenſis, concionatus eſt Archiepiſcopus Turrianus. Lecta ſunt Decreta de Dogmatibus,& de Reformatione; poſtea lectum eſt Mandatum Electoris Brandeburgenſis pro ſuis Oratoribus ad Concilium miſſis. Hi ſatis officioſis verbis locuti ſunt ad Patres, nihil aliud addendo pro Legato, & Nuntijs; erat enim de Auguſtanâ Confeſſione. Miſerat autem hos Oratores Elector iſte, ne impediretur inſtitutio eius Filij in Brandeburgenſi Epiſcopatu, ad quem à Canonicis electus iam fuerat. Seſſio 13.

Tandem viſum eſt de Abbate illo, qui Regis Galliæ nomine proteſtationem attulerat, qui cum nō adeſſet ſicut fuerat illi indictum, conclamatum eſt ad fores Eccleſiæ, vt vel ille, vel aliquis pro ipſo accederet ad audiendum reſponſum, ſed nemo comparuit. Dictum poſt abſolutam Seſſionem fuit, vt perpenderent Theologi, quæ pertinent ad Pœnitentiæ & Extremæ Vnctionis Sacramenta, de quibus nihil in particulari in Hiſtoriâ habetur. Interim Pontifex obnixè curabat, vt Heluetiæ Præſules ad Concilium properarent; ſed Vergerius, de quo ſupra dictum eſt, illis in locis Proteſtantium Principum nomine Pontificis vota impediebat, quod & cum Griſonibus fecit.

Seſſio 14. Verùm rebus maturè determinatis celebrata eſt Seſſio in ordine 14. Sancta deinde Synodus agere intendens de SacroSancto Miſſæ Sacrificio rem doctiſſimis quibuſdam Viris commiſit, quibus Elector Colonienſis, & duo Epiſcopi Regis Ferdinandi Oratores, præerant. Sed in hoc licet multùm fuerit laboratum, nihil tamen concluſum ob Concilij ſuſpenſionem, quæ inde ſecuta eſt.

Acceſſerant ad Concilium ante celebratam Seſſionem, Oratores Ducis Wirtembergenſis, ſuam de Religione doctrinam proponere petentes, ſimúlque vt alius Saluus conductus concederetur iuxta formam illius, quem Patres Baſileenſes conceſſerant Bohemis: quo obtento dicebant ſuos Doctores, qui non longè aberant venturos ad prædictam doctrinam declarandam, atque tuendã. Egerant de hoc cum Comite de Montfort Oratore Cæſareo, ſed quia ad Legatum Præſidem ſe conferre noluerunt, nihil actum eſt: vnde Oratores ſuum Principem conſuluerunt per literas, ſicut Legatus hiſce de rebus ad Pontificem ſcripſit.

Poſt aliquot dies iam celebratâ Seſſione, reſcripſit Dux Wirtembergenſis ad ſuos, vt quocunque meliori modo potuerint, vltra procederent. Wirtembergenſes hoc accepto reſponſo abſente Comite de Montfort egerunt

runt cum Cardinale Tridentino, vt eorum petitiones proponantur Legato. At Legatus, qui à Pontifice Mandatum acceperat, vt pro rerum conditione prudenter ſe gereret, vlterius ſemper procederet, nec res iam deciſas iterum in examen vocari permitteret: reſpondit, *neque Hæreticorum doctrinam audiendam, neque diſputationes interponendas: ipſorum doctrinam iam ex eorum Scriptis erui, & in dies ad examinandum proponi: diſputationes cum Hæreticis in infinitum protrahi periculoſâ contentione, & tumultu: Saluum conductum iam datum, & indignum eſſe illum innouare.*

Venerunt poſtea Oratores Argentini, aliarúmque Ciuitatum idem petentes, qui eâdem de causâ inauditi diſceſſum parabant; ſed hortante Comite de Montfort exſpectauerunt Oratores Saxones, qui die ſeptima Ianuarij 1552. acceſſerunt Tridentum. Iſti 1552.
ſui Principes Mandato ſe veniſſe dixerunt pro Pace, & quiete Religionis: & à Cæſare humaniter accepti, Tridentinum Cardinalem allocuti ſunt, ſed Cardinalem Legatum adire noluerunt. Quia verò Legatus & Nũtij eorum petitionibus aduerſabantur, & omnia debito ordine fieri volebant, ſcriptum eſt ad Cæſarem, qui Oeniponti erat, quæ Ciuitas triduo à Tridento abeſt. Reſcripſit Cæſar ſuis Oratoribus, & Cardinali Tridentino,

tino, vt obnixè agant, quo Saxones, ac reliqui aliquid ex ſuis petitionibus obtineant.

Sed quoniam inter Legatum, & Proteſtantes maxima erat diſtantia; ille enim neque alium ſaluum conductum concedere volebat, neque illos audire, niſi prius eum, & Nuntios, vt Romani Pontificis nomine Præſides Concilij venerarentur, quod iſti facere recuſabant, imò & alia in oppoſitum inſolentiſſima petebant: Cæſareis Miniſtris pro rebus iuxta eorum vota obtinendis, artificio viſum eſt vti. Acceſſerunt ergo ad Legatum petentes obnixè, vt alius Saluus conductus concedatur, iuxta illum, qui in Baſileenſi Concilio conceſſus eſt Bohemis. Hoc autem quamuis ſummâ cum difficultate tandem obtentum eſt; quo conceſſo poſtulauerunt, vt Proteſtantes in Concilio audirentur, ſicut & Brandenburgenſes iam obtinuerant. Et quoniam ipſi Legatum prius adire, illúmque venerari nolebant, viſum eſt expediens, vt ipſi non in Seſſione, ſed in Generali Congregatione ad audientiam veniant. Cum enim Congregatio fieret in domo Legati, vtriſque hâc ratione ſatisfieri videbatur.

Poſthæc petierunt Seſſionis dilationem circa Dogmatum definitionem vſque ad Aduentum Miniſtrorum Proteſtantium. Quo audito, & cognitâ eorũ fraude Legatus mag-

no animi motu ad omnia diſſentire parabat. Illi verò teſtati ſunt ſe nihil vltra poſtulaturos. Hæc igitur quoniam determinari ſine Patrum conſenſu non poterant, facta eſt Generalis Congregatio: in quâ licet magna cum difficultate & diſcrepantia, conceſſa denique fuerunt à Patribus. Et quoad audiendos Proteſtantes ex conſultatione Petri Tagliauia Archiepiſcopi Panormitani, edita eſt Proteſtatio à Patribus.

Concluſum eſt igitur, vt die 24. Ianuarij in Generali Congregatione Proteſtantes excipiantur, & ſequenti die fieret Seſſio, in quâ fieret prorogationis Decretum, & Saluus conductus legeretur; & electi ſunt aliqui ex Patribus, à quibus ſimul cum Nuncio Sipõtino iſta componerentur. Breui peracta hæc ſunt, & Salui conductus formula Cæſareis Oratoribus tradita, quam ipſi Proteſtantibus oſtendentes eos de omnibus actis edocuerunt. Erat inter eos quidam Picta cognomine, qui fucato, atque audaci dicendi genere, ſeorſim à Cęſareis allocutus eſt ſuos, & Patrum benignitatem atque libertatem extollens, dixit, *ſatis eſſe conceſſum: grato & prompto animo eorum beneficijs reſpondendum: pro nunc nihil vltra petendum, reliqua poſt ſuorum Doctorum aduentum agenda.*

Sed hæc & maiora, quæ à Pictâ Cæſareorum

rum nomine addebantur parum profuerunt: nam Proteſtantes circa Salui conductus formulam indignati ſunt cum Cæſareis, aſſerentes eam non eſſe iuxta Concilij Baſileenſis formam, vt petebatur. Siquidem quam plurima, atque inſolentiſſima volebant addi. Sed Præſides & Patres nihil vltra immutandum dixerunt, & quidem Toletus Orator Cæſareus aduersùs Proteſtantes iratus, dixit, *Saluum conductum pro eorum ſecuritate fieri, non autem vt per illum leges imponantur Concilio, ſicut ipſi petebant, quæ nec in Baſileenſi inueniuntur.*

Rebus ità indeterminatis die 24. Ianuarij Legatus breuibus & grauibus verbis dixit ad Patres, *illà die agenda eſſe, quæ maximè ad vniuerſalem Eccleſiam ſpectant; ob id rogandum DEVM, vt ſuis fidelibus faueat.* Et inuocato Spiritus Sancti auxilio lecta eſt Proteſtatio. Deinde introducti ſunt Saxones, quorum vnus Patrum conſeſſum veneratus dixit, quæ in Mandatis habebat *de Saluo conductu iuxta Baſileenſium formam, de prorogatione Seſſionis, de examinandis denuò Dogmatibus iam determinatis; ne Pontifex in Concilio præſideat, immò potius ſe illi ſubmittat, & Epiſcopos iureiurando abſoluat.* His dictis rerum ſeriem, quam in ſcriptis habebat, obtulit Patribus, quâ acceptâ per Secretarium reſponſum eſt à

Promo-

Promotore, nomine Concilij: *Patres omnia inſpecturos, & ſuo tempore reſponſuros.*

Deinde introducti ſunt Wirtembergenſes, & alij: iſti dixerunt, *ſe afferre ſuam Confeſſionem, ad eam explicandam & probandam eorum Doctores venturos.* Addiderunt, *cum ſit diſſenſio inter ipſos, & Pontificem, & eius Sectatores, par eſſe, vt Concilium inſtituatur hoc modo: ſit ex vnâ parte Pontifex cum ſuis, & ex alterâ ipſi cum ſuis Doctoribus: eligantur Iudices; diſputetur hinc inde, & quidquid ſtatuatur per Iudices, fiat:* & obtulerunt ſuam Confeſſionem à Secretario acceptam.

Dimiſſis Proteſtantibus Patres ſtatuerunt, de prorogatione, quæſitum deinde eſt, *an aliquid addendum ſit in Saluo conductu?* & reſponſum eſt negatiuè. Sequenti die facta eſt Seſſio, in quâ Catanenſis Epiſcopus Miſſam cantauit, & Archiepiſcopus Maioricenſis concionatus eſt. Lectum eſt Decretum prorogationis, & Saluus conductus. Cuius Exemplaria Cæſaris Oratores tradiderunt Proteſtantibus, qui dixerunt, *eum ſe, vt non acceptum, recipere: ſed ad ſuos Principes mittendum eſſe.* Rebus ita ſtantibus, dum impij aduersùs Catholicam veritatem, & Apoſtolicam Sedem ſpecie Concilij machinas parabant, adfuit DEVS, qui ſuis hoſtibus, ſuos hoſtes fundit, & perdit. *Seſſio 15.*

Fama tulit Galliæ Regem cum Proteſtantibus fædere iunctum aduersùs Cæſarem arma parare, totámque Germaniam in arma ruere: & iam Treuerenſis Elector aliquot diebus anteà diſceſſerat, occaſione tumultus inter Proteſtantes exorti ob quandam ſui Theologi contra Hæreticos concionem. Poſtea Moguntinus & Colonienſis ad propria tuenda Tridentum relinquunt. Saxones pauidi occultè fugam arripiunt. Venerunt interim Pſeudo-Theologi Wirtembergenſes, qui per Oratores Cæſareos poſtulauerunt audiri, vt prædictam ſuorum Confeſſionem tuerentur, ſed quia diſputari cum Hæreticis vanum & inutile erat, reſponſum fuit, *diſputandi locum non eſſe: Seſſionem inſtare*, quæ tamen ob rerum grauitatem à Calendis Maij prorogata fuit in Congregatione Generali in qua Regis Luſitani Orator honorificè acceptus eſt.

VVirtembergenſes, & alij. Inſtant Wirtemberges, vt eorum Confeſſio in Generali Congregatione exhibita in publicum afferatur, atque ab eorum Doctoribus defendatur; ſed quoniam Legatus apud ſe illam habebat, & hanc oſtendere recuſabat, Wirtembergenſes varia eius exemplaria Typis data, per Ciuitatem euulgauerunt. Quo audito Præſides indignati, multis aſſentientibus, eos capitalis pœnæ reos eſſe dicebant,

bant, ac Saluum conductum quo abutebantur, nihil illis prodeſſe. Inſtabant tamen Oratores Cæſarei, vt propter aduentum Miniſtrorum Wirtembergenſium, Synodalium actionum initium fieret.

Sed Legatus graui morbo laborabat; Nũtij dubij erant, ſimul & Patres; præterquã, quod Germaniæ Epiſcopi vel diſceſſerant, vel diſceſſum parabant. Siquidem Saxo Auguſtâ tridui obſidione captâ, Oenipontum contra Cæſarem tendebat. Ferebatur præterea milites circa Alpes diſpoſitos, ne ex Italia venirent auxilia. Quo Nuntio allato, & Patres ipſi, & Proteſtantes promiſcuè fugam arripuerunt, pauciſſimis Patribus pro Concilio remanentibus cum Legato grauiſſimè laborante. Nuntij in tanto diſcrimine pro Seſſione habenda ad Calendas Maij, immorari ſe non poſſe cognoſcentes, de his admonuerunt Pontificem. Qui ſtatim ad ſuos miſit ſuſpenſionis Bullam: quâ acceptâ Nũtij de hoc egerunt cum Cæſaris Oratoribus, ac præcipuis Hiſpaniæ Epiſcopis, qui dixerũt exſpectandũ reſponſum à Cæſare; alijs tamen Patribus agentibus, pro ſuſpenſione faciendâ indicta eſt Seſſio ad diem 28. Aprilis, in qua definita eſt ſuſpenſio.

Suſpenſionis Decretum eſt ab omnibus approbatum, præterquã à 12. Hiſpaniæ Epi- *Seſſio 16.*

 ſcopis,

ſcopis, qui etiam ex aduerſo Proteſtationem dederunt. Ijs tamen non obſtantibus diſceſſerunt Patres cum ægroto Cardinale Legato, qui morbo, & curis confectus Veronæ mortuus eſt. Paulò poſt etiam Patres Hiſpani cum Cæſaris Oratoribus diſceſſerunt.

Suſpenſio. Conc. Quæ à ſuſpenſione hâc vſque ad aliam Concilij conuocationem factam à Pio IV. Pontifice Maximo circa Religionem in Germaniâ euenerunt, & pauca feruntur, & quæ parum ad Concilium pertinent, quæ breuiter hic perſtringemus.

1555. Auguſtæ Conuentus habetur pro Concordiâ Religionis, in quo Ferdinandus Cæſaris nomine, eleganti hâc de re eſt vſus oratione, cuius exemplaria Typis data Romam vſque miſſa ſunt. Ob id Pontifex Cardinalem Moronum Legatum ſuum illuc miſit; ſed interim mortuo Pontifice, Cardinalis Romam reuertitur. Succeſſor eius Marcellus Ceruinus paucos dies vixit. Poſt quem Ioannes Baptiſta Carrafa nobilis Neopolitanus Theatinorum auctor, in Pontificem eligitur, qui Paulus IV vocatus eſt.

Marcellus II. Pontifex.

Paulus IV.

Auguſtæ in Conuentu nihil ſtatuitur niſi, vt quiſque in ſuâ Religione permaneat vſque ad futurum Concilium, & Religionis compoſitionem: cum aliquibus tamen circumſtantijs & conditionibus pro temporum

cala-

calamitate extortis,ſed Religioni noxijs His de cauſis nouus Pontifex, qui non niſi Romæ Concilium habendum dicebat, miſit Cardinalem nepotem ſuum ad Cæſarem, & Cardinalem Rabibam ad Galliæ Regem pro fædere inter eos componendo: ſed iam Cæſar Sceptra faſtidiens, Regnis, atque Imperio ceſſerat. Wormatiæ habetur de Religione 1556.
Colloquium: duodecim Catholicis & totidem Hæreticis diſputantibus, cuius Præſes erat aliquis Epiſcopus; ſed diſcordantibus inter ſe ſub initium Lutheranis & Zvvinglianis, nihil conficitur, propoſuerat enim Epiſcopus, vt Hęretici prius inter ſe cōcordarēt, & deinde cum Catholicis agerent.

In Angliâ Maria Henrici filia Catholica, ex Catharinæ legitimo Matrimonio nata, & Eduardo fratri in regno ſuccedens.Philippo Hiſpaniæ Regi nupſerat; ſed ſine filijs mortua eſt, ſuccedente Eliſabethâ ſorore ex illegitimis nuptijs ortâ. Quare in eâ Regione Catholica Fides iacturam denuò patitur, ſicut & in Galliâ mortuo Henrico II. ob Regis filij pueritiam inualuit Hæreſis: magnâ cum ſpiritualium ſimul, & temporalium bonorum ruina & naufragio. Sed in Hiſpania adueniente Philippo RegeCatholico, qui mirabiliter eſt perſecutus Hæreticos, omnia circa Religionem optimè habebant.

1559. Pius IV. Tandem Paulus IV. Pontifex moritur, & Pius IV. Mediolanenſis eius loco ſufficitur; hic electus ſtatim egit de reſumendo Concilio cum Miniſtris Ferdinandi, qui Carolo fratri ſucceſſerat in Imperio. Augebatur interim Hæreticorum numerus, quibus etiam laborabat Sabaudia; quare illius Prouinciæ Dux poſtulauit à Pontifice Colloquium ad ſedandas de Religione lites, ſicut & in Gallia poſtulauerat Rex Concilium Nationale. Vtrumque negatum eſt à Pontifice, vt inutile, & perniciofum: ad Generale potius Cōcilium Principes hortatus eſt. Quâ de re miſit Nuntium ad Galliæ Regem Viterbienſem Epiſcopum, imponens illi, vt in tranſitu ageret cum Duce Sabaudo, *de expugnandâ Genenâ, vti illorum malorum origine ac fonte.* Scripſit etiam Pontifex ad Hiſpaniæ Regem, vt *& Galliæ Regi ſuadeat hanc Geneuæ expugnationem, ſimúlque vt à Nationalis Concilij petitione abſtineat.* Etenim Sabaudus ſuas vires, & operam pollicebatur, ſi ab alijs Principibus adiuuaretur.

Reſpondit Hiſpaniæ Rex *intempeſtiuè aduersùs Geneuam cogitari*; ſed pro impediendo Nationali Concilio mittit in Galliam D. Antonium Toletum magnum Leonis priorem, qui Regi ſignificauit mala quam plurima, quæ ex hoc Nationali Concilio oriri poſſent

cum

eum euidentiſſimo periculo maioris in Eccleſiâ diuiſionis. Sed Galliæ Rex vti de expugnandâ Geneuâ non laudauit conſilium, ne Hugenotti, qui ſunt Galliæ Hæretici, ne Heluetij, ne vniuerſa Germania aduersùs eum in arma ruerent, ita in petendo Concilio Nationali conſtans permanſit. Quare miſſus eſt in Galliam à Pontifice Cardinalis Turonius, non vt Legatus pro Nationali Concilio, ſed vt tali ſub ſpecie, petentium leniret animum.

Interim Pontifex omnem curam ad Concilium direxit. Et quidem quoad locum nulla Ciuitas Tridento commodior viſa eſt, nam & ſitus, & praxis admodum tali electioni fauebant. Quare Pontifex de reuocando apud Tridentum Concilio Principum Oratoribus proponit, & per ſuos Nuntios Principes ipſos edocet. Reſponſum eſt *ab Hiſpaniæ Rege, Concilium vtile, atque optabile eſſe.* Cæterum hortatus eſt Pontificem, ne aliquid agat ſine Cæſaris, & Galliæ Regis expreſſo conſenſu. Reſpondit Galliæ Rex, *laudando Concilium ſed non celebrandum Tridenti, tum quia eò iter difficile eſſet Gallis Epiſcopis, tum quia hoc modo videbatur continuatio prioris Concilij, ſuos verò nouum Concilium optare, & independens ab illo.* Cæſar verò reſcripſit Pontifici, *ſe pro inuitandis Proteſtantibus ad Concilium*

cilium Conuentum inſtituturum, ſed non Concilij intuitu : addidit *de ſuis Regnis nihil ſperandum, niſi concedatur Calicis vſus, & coiugium Preſbyterorum. Præterea Tridentum putari nomen infauſtum; & Proteſtantibus odioſum, aptiorem prò Concilio Ratisbonam videri.*

Sed Pontifex eligebat potius Tridentum, quàm quamcunque aliam Germaniæ Ciuitatem, ob Patrum ſecuritatem, & de hâc reſcripſit ad Principes. Verùm creſcentibus de Religione laboribus, Rex Galliæ conuocato apud Fontem Bellaquam procerum Conuentu, ſtatuit ad tertium Ianuarij fore Concilium Nationale; interim omnia quieſcerent. Hoc audito Pontifex conuocatis Principum Oratoribus, egit de Concilio quam primùm celebrando, ſperans per Generale Concilium, Nationale impediendum.

Allatæ ſunt deinde Regis Hiſpaniæ, & Cardinalis Turonij ad Pontificem literæ, quibus Pontifex edocebatur, *eorum operam nihil pro impediendo Nationali Concilio profuiſſe, præterea Gallos Generali Concilio non adhæſuros, niſi Proteſtantes accedant, ac ſe illi ſubmittant: vnde ex hoc capite Nationale Concilium impediri non poſſe.*

Ferebatur inſuper *nonnullos egiſſe cum Cardinali Tridentino, ne Ciuitatem concedat Pontifici, quæ de Cæſaris iurisdictione erat.* Ad hæc

addeba-

addebatur ex D. Antonij Toleti literis, *in Gallia Principes, atque ipſos Epiſcopos nouis illis opinionibus fauere, atque aliquid ex ambitione moliri.* Attamen in Conſiſtorio omnibus his expoſitis, petente Pontifice Cardinales omnes (vno Ferrarienſi excepto) *Generale Concilium celebrandum* dixerunt. Quorum Decreto adhærens Pontifex Tridenti Concilium celebrandum proponit: séque omnes difficultates emoliturum promiſit.

Deinde ex älijs Cæſaris literis auditum eſt, *ipſum quidem Cæſarem iuxta Pontificis Decreta ſemper facturum, illi tamen denuo ſignificare, Tridenti Concilium nihil profuturum Germanis; Tridenti nomen Proteſtantibus inuiſum, fixúmque eſſe Proteſtantibus, etiam armis illi obſiſtere.* Re Cardinalibus in examen propoſita Campenſis, Cæſius, & Piſanus, qui primi locuti ſunt, dixerunt, *his non obſtantibus celebrandum Tridenti Concilium.* Poſt hos Tridentinus dixit, *cum de rerum Summâ ageretur, negotium maturius eſſe conſiderandum*; cuius Sententiam ſecuti ſunt reliqui. Sequenti die literæ allatæ ſunt Galliæ Regis ſumma diligentia miſſæ; Rex in illis ſignificabat, *Nationale Concilium impediri non poſſe, niſi Generale Concilium conuocetur. Cæterum Tridentum Ciuitatem ad hoc malè aptam videri* (ex cauſis iã dictis) *meliùs Conſtantia, aut in aliquâ Galliæ Ciuitate id haberi poſſe.*

 Hoc

Hoc allato Pontifex nihil immorandum ſtatuit in conuocando Concilio Tridentum, ſed deliberandum prius, in vnum collectis Patribus, vt ſi Concilium *alio transferendum videretur, id fiat*, pollicitúſque eſt Pontifex, *ſi res ita exegerit, ſe ad Concilium venturum*. Poſtulauerunt Germani, & Galli, *vt hæc non vocaretur Concilij continuatio, ſed noua indictio; præterea, vt Decreta iam facta iterum in Examen venirent, vel ſaltem ius relinqueretur Patribus, vel illa confirmandi, vel denuò examinandi*. Contrà verò Hiſpani atque Itali inſtiterunt, *vt hæc diceretur Continuatio, non autem noua indictio*. Pontifex oppoſitis partibus volens ſatisfacere, in Bullâ indifferenter locutus eſt, eâque editâ varios Nuntios miſit ad Principes, etiam ad illos, qui iam inde à Sede Apoſtolica diuiſi erant, non indignum eſſe dicens, *gratum ſe præſtare impijs pro animabus Chriſto lucrandis*.

Mortuus eſt interim Franciſcus Galliæ Rex, ſuccedente Carolo IX. annorum decem, eius fratre; cuius cura in minore ætate Regi Nauarræ committitur, vt ſanguine propinquiori. Sed cum hic Hugonottis faueret, omnia in peius vertuntur. Ob id factus eſt Conuentus à Principibus, vt malo huic præberetur Antidotum. Statuitur vt Epiſcopi ad Concilium mittantur, & interim

rim Hæreticorum audacia coerceatur. D. Ioannes Manriques agente Pontifice ab Hiſpaniæ Rege in Galliam mittitur ad ſuadendum Reginæ Matri, vt acriter curet, ne Hæreticorum licentia inualeſcat, illos ſupplicio afficiendo. Cui petitioni cum Nauarrenſis ſe opponeret, Manriques cum Guiſianis egit, proponendum Nauarrenſi, vt repudiatâ vxore hæreticâ, Mariæ Scotiæ Reginæ coniugium peteret. Hâc enim viâ potuiſſet Angliæ Regno potiri, eiectâ Eliſabetha, & Pontificis autoritate, & Hiſpaniæ Regis viribus. Qua ſpe vſque ad mortem Nauarrenſis perſuaſus fuiſſe dicitur.

Sed in Germania Proteſtantes Naumburgi conuenientes duo examinanda propoſuerunt, primò, *quomodo concordare poſſent circa varias de Religione ſuâ Sententias, etenim ob diſcordiam ſe fortius à Catholicis argui cognoſcebant*. Secundò, *quid dicendum de Concilio indicto?* Ad primum, cum nullo modo conuenire poſſent, viſum eſt, *ſe ad Confeſſionem Auguſtanam referre, rebus alijs indeterminatis perſiſtentibus*; ſed neque in hoc concordare potuerunt; nam Confeſſionis Auguſtanę variæ formulæ ferebantur, & inter ſe diuerſæ, & contrariæ. Ob id viſum eſt in primâ illa Confeſſione perſiſtere Carolo Cæſari oblata Anno 1530, ſed neque in hoc concor-

des fuerunt. Nam Palatinus, qui Confeſſioni huic non aſſentiebatur, dixit: *addendam illi Præfationem, in quâ diceretur Confeſſionem iſtam ab alijs non differre.* Tunc Saxo ſubridens reſpondit, *& quis cæcus non videret Præfationem ab ipſo opere diſſentire?* Ad ſecundum concorditer dictum eſt, *ſpernendum eſſe Concilium à Pontifice indictum, aliúdque petendum à Cæſare.* Nuntijs à Pontifice miſſis varius fuit legationis exitus; nam qui ad Cæſarem miſſi ſunt, vt pro Germanis aliquid agerent: Cæſaris hortatu cum illius Oratoribus Naũburgum venerunt ad Proteſtantes, qui Apoſtolicæ Sedis Nuntijs reſponderunt, nihil ſibi cum Romano Pontifice; Cæſareis verò Oratoribus dixerunt, *ſe à Cæſare Concilium velle, in quo verbum Dei ſit iudex, & ſimilia,* vt ſupra non diſſimilia reſponderunt reliquæ Proteſtantium Ciuitates. Nuntius qui in Angliam miſſus fuerat, præceptum in Belgio habuit à Reginâ ne vltra progrederetur. Fruſtra agentibus Hiſpaniæ Regis Miniſtris, vt ſaltem ab illâ audiretur. Neq; Daniæ Rex Nuntium ad ſe venire permiſit; neq; Nuntius ad Polonos miſſus, potuit propter bella contra Moſcouitas adire.

Catholici verò in Germaniâ Nuncijs per humaniter acceptis, reſponderunt, *ſe quidem Concilium velle, ſed de illo cum Cæſare agendũ:*

ſe ni-

ſe nihil ex propriâ ſententiâ poſſe Proteſtantium metu. Heluetij Catholici *ſuos Epiſcopos ſe ad Concilium miſſuros*, dixerunt, Hæretici verò neutiquam. Cæſar reſpondit, *quantum in ſe eſt, ſe Pontifici obtemperaturum, pro imperio autem & regnis nihil certi polliceri poſſe.* Non diſſimilis fuit Galliæ Regis reſponſio, indixit tamen ſui Regni Epiſcopis, vt ad Concilium ſe pararent.

Sed Cæſar & Galliæ Rex voluiſſent, vt in Bullâ apertiſſimis verbis diceretur, *conuocationem illam non eſſe præteriti Concilij continuationem, ſed nouam indictionem Concilij independentem à primâ.* Contrà verò Hiſpaniæ Rex volebat oppoſitum, atque vt hoc etiam apertiſſimis verbis declararetur in Bullâ, cum addito, *quod Decreta iam facta denuo in Examen venire non debeant.* Indignabatur præterea Hiſpaniæ Rex, quod Pontifex in aula Regia Oratores Regis Nauarræ excepiſſet, qui obſequij causâ ad Pontificem venerant. Etenim Hiſpaniæ Rex non alium Regem Nauarræ, præter ſe ipſum à Pontifice volebat agnoſci. His de cauſis Pontifex miſſo in Hiſpania Tarraconenſi Epiſcopo factum excuſauit, ſimúlque ſenſum ſuum de Concilio aperuit; ſicut etiam ad Galliæ Regem ſuas legitimas excuſationes miſit, & queſtus eſt præterea de multis, quæ Rex edixiſſet, quæ non ad

Prin-

Principem laicum, ſed ad ſummum Pontificem ſpectant.

Rebus igitur meliori, vt potuit modo cõpoſitis, Chriſtianis Principibus ſe ad Concilium conuertentibus, facta eſt à Pontifice ad Concilium Legatorum electio, quæ nec ſemel, nec vna fuit. Hi autem fuerunt *Hercules Conzaga Cardinalis Mantuanus, Hieronymus Seripandus ex Eremitanis Sancti Auguſtini, Stanislaus Hoſius Polonus, Ludouicus Simoneta; & Marcus de Altemps Pontificis nepos* S. R. E. Cardinalis, qui ſicut non ſimul electi, ita non omnes ſimul venerunt ad Cõcilium. In quorum primo aduentu memoriâ dignum traditur: quoddam lumen, ſiue exhalationem magnam & inſuetam, ex terrâ in aërem eleuatam apparuiſſe, ſummâ omnium admiratione, & extaſi. Confluentibus interim Epiſcopis vndique, ac ſimul iunctis Legatis, ad rerum Synodalium inchoationem denique ventum eſt.

1562. Die igitur 15. Ianuarij Anno 1562. pro aperiendo Concilio facta eſt Congregatio. Lectæ ſunt Apoſtolicæ literæ, tum pro Legatis, tum pro rebus ad vſum Concilij. Poſtulauerunt Hiſpani, vt fiat declaratio *de Concilij continuatione, & de Decretis iam factis, non amplius examinandis.* Cui petitioni ſe oppoſuit Epiſcopus Zacynthius, qui olim Nuntius

tius in Germaniâ fuerat, dicens: *ſicut verum eſt, Decreta iam facta, nunquam in Examen reuocanda: itâ declarationem hanc non parum detrimenti allaturam Chriſtianæ Reipublicæ; hâc enim declaratione claudetur aditus ad Concilium Germanis, & Gallis, qui abſolutè illud nouum Concilium eſſe deſiderant.* Fauebant huic Sententiæ Legati; verùm Hiſpanis obſtrepentibus promiſerunt Legati Pontificis nomine: Decreta iam facta pro certis, ac ratis à Pontifice habenda, & ſedulò curaturos, vt in Decreto de aperiendo, Concilio nihil in præiudicium dicatur, aut fiat. Electus deinde eſt omnium conſenſu Ægidius Foſcararius Mutinenſis Epiſcopus, vt videret conciones, & ſimilia publicè in Concilio dicenda: ſine cuius cenſura nihil in publicum proferendum.

Die 18. Ianuarij celebrata eſt Seſſio in ordine decima ſeptima, de aperiendo Concilio; Miſſam cantauit Cardinalis Mantuanus, concionatus eſt Caſpar Foſſo Archiepiſcopus Rheginus. Lecta eſt à Secretario Pontificis Bulla de celebratione Concilij: deinde interrogati ſunt Patres de inchoatione Concilij. Ad verbum *Placet ?* reſponderunt omnes affirmatiuè; exceptis quatuor, qui dixerunt interrogationem factam eſſe per verba ambigua. *Seſſio 17.*

Die

Die 24. Ianuarij tria propoſita in Congregatione à Legatis. Primum, *de componendo Indice Librorum prohibitorum.* Secundum, *an citandi ſint Heretici, quorum errores damnantur?* Tertium, *de Saluo conductu Hereticis concedendo.* Ad primum datum eſt munus hoc *quibuſdam ex Patribus.* Ad ſecundum dictum eſt, *ſufficere euulgationem de audiendis his, ad quos pertinet.* Tertium, *ad aliud tempus dilatum.* Dum hæc agerentur, venit ad Concilium Cardinalis de Altemps quintus Legatus, & Archiepiſcopus Pragenſis, Cæſaris Orator. Hic breui ad Patres oratione eſt vſus, nam reliqua, quæ in mandatis habebantur alteri Oratori Collegæ venturo, proponenda reliquit. Die 9. Februarij venit ad Concilium Ferdinandus Martinez Luſitanus Orator. Vndecimo verò die venit Sigiſmundus à Tünn alter Orator Cæſareus.

Decimo tertio verò die Oratores Cæſarei obtulerunt ſui Principis nomine, quinque Capita. Primum, vt *declaretur noua Concilij indictio, & non incepta Continuatio,* contra id, quod cupiebant Hiſpani. Secundum, vt *Seſſio prorogetur, vel in ea agantur leuiora.* Tertium, vt *in Indice Librorum prohibitorum cautè procedatur, ne Proteſtantes excitentur in iram.* Quartum fuit *pro Saluo conductu, cum amplâ formâ.* Quintum, vt ea, *quæ in Concilio aguntur, tegantur ſilentio.* Die

Die 22. Februarij ad propoſita reſponſum eſt à Legatis. Ad primum, *neceſſe eſſe omnibus ſatisfieri, etenim Hiſpani oppoſitum poſtulabant.* Ad ſecundum *conceſſum eſt, vt petebatur.* Ad tertium dictum eſt, *Indicem ſeruandum ad finem Concilij.* Ad quartum dictum eſt, prius eſſe ſtatuendum, *an Germanis tantùm, an alijs etiam Nationibus,* Saluus conductus ſit dandus? Ad quintum *faciendum, vt Cæſar monet.* Quare in fine Congregationis Cardinalis Mantuanus graui Oratione locutus eſt de ſilentio ad Patres, ne res tam magni ponderis efferantur in vulgus, & ſimul propoſitum fuit de Saluo conductu.

Die 16. Februarij facta eſt Seſſio in Ordine decima octaua, cantante Miſſam Patriarchâ Hieroſol. & concionante Archiepiſcopo Corcyrenſi: in quâ etiam lectum Breue Apoſtolicum de Indice formando, & Decretum de Saluo conductu concedendo, qui die quarta Martij in Congregatione conceſſus fuit. Inſtiterunt Oratores Cæſarei, vt de Reformatione ageretur, & per literas Proteſtantes inuitarentur. Ad primum reſponſum fuit, *Reformationem peti quidem à Principibus, ipſos tamen Reformationi obſtare. Præterea Reformationem pro Clero Germanico inprimis faciendam, ſed abſentibus Germaniæ Epiſcopis nihil poſſe ſtatui, niſi vniuerſalia.* Ad ſe- *Seſſio 18.*

cundum

cundum dictum eſt, *Proteſtantibus non ſcribendum, cum ſatis indignè Nuntios Apoſtolicos exceperint, qui hac de cauſa ad eos miſſi erant.*

Die 11. Martij propoſuerunt Legati duodecim articulos de Reformatione Canoniſtis examinandos; ſimúlque perpendendum dederunt Theologis, an ſicut ſub Euariſto Pontifice, & in Concilio Lateranenſi declaratum fuit, *Matrimonia Clandeſtina in foro externo pro irritis habenda: ità poſſet fieri, vt & in foro conſcientiæ pro irritis habeantur?* Deinde venerunt Cæſaris literæ ad Patres, quibus ſignificabatur in Germaniâ arma conſurgere, cogitandum de Concilij ſuſpenſione. Exceptus deinde eſt in Congregatione Ferdinandus Aualos Marchio Peſcariæ, Hiſpani Regis Orator: ſicut & alijs temporibus excepti fuerunt varij Oratores Principum omnes ferè Epiſcopi, pro Vngarico Clero, pro Heluetijs Catholicis, pro Coſmâ Medices Florentiæ, & Senarum Duce. Poſt hæc acceſſerunt Oratores Veneti, deinde Bauarus Orator, qui cum Venetis contendit de præcedentiâ, tandémque ceſſit proteſtatione factâ. Sed hoc multò poſt euenit.

Facta interim propoſitorum Articulorum conſultatione, remanſit dubitatio *de modo, quo Epiſcopi in proprijs Eccleſijs poſſint, & debeant reſidere.* Prima Sententia fuit, vt *hoc ſtatueretur*

tueretur per pœnas conſtitutas in Iure. Secunda fuit, aſſerentium declarandum, *quod Reſidentia ſit de Iure diuino*; & quoniam circa hoc magna erat controuerſia, inter partes Legati, vt per ordinem hæc fierent, ſtatuerunt interrogare illos per verbum *Placet?* Factâ igitur interrogatione, *an declarandum, quod Epiſcoporum Reſidentia ſit de Iure diuino?* ſexaginta & octo ex Patribus reſponderunt *Placet*; triginta tres reſponderunt, *non Placet*; tredecim reſponderunt, *Placet Conſulto prius ſanctiſſimo*, decem & ſeptem, *non placet, niſi prius conſulto Sanctiſſimo*; Cardinalis Madrutius votum Congregationi dedit. Baduacenſis Epiſcopus dixit, *iam anteà hoc definitum fuiſſe.* De his omnibus ſcriptum eſt ad Pontificem.

Ferebatur interim in Hiſpaniâ non benè audire verba illa: *Proponentibus Legatis.* Quaſi per ea Patrum libertas in proponendo impediretur. Quare Pontifex ad Regem ſcripſit, *verba illa ſe inconſulto fuiſſe appoſita: cæterum neceſſe eſſe, vt in Concilio ordine procedatur, nam ſi cuilibet quidlibet dicere liceret, omnia in Babylonicam abirent Confeſſionem.* Formata ſunt deinde Decreta de rebus examinatis circa Reformationem: ſed quoniam quoad Reſidentiam, omnia ſub perplexitate erant, & præterea Hiſpanus Orator declara-

tionem de continuatione petebat, Oratores verò Cæſarei oppoſitum volebant, imo ſe diſceſſuros dicebant, ſi talis declaratio fieret,
Seſſio 19. in Seſſione 19. decretum de prorogatione tantum eſt poſitum. Quâ Seſſione habitâ, Hiſpanus Orator ad Mediolanenſis Ducatus regimen diſceſſit.

In Congregatione Generali, quæ prima poſt Seſſionem fuit, excepti fuerunt Oratores Galli, quorum primus erat Ludouicus Landſac, qui per aliquot antea tempus Orator apud Pontificem fuerat. Galli habitâ prius conſultatione cum Cæſareis, in Congregatione ſuam Legationem expoſuerunt, loquente omnium nomine Vibio Fabro, qui ſatis liberâ, & prolixâ oratione eſt vſus: quare Promotor, qui Concilij nomine reſpondere ſolebat, nihil dixit: ſed abſolutâ Gallici Oratoris oratione, Congregatio eſt dimiſſa. Sequenti die Galli propoſuerunt Legatis nonnulla, quæ ad duo capita reduci poſſunt. Primum, *vt Gallici Epiſcopi excuſarentur, quod adhuc non venerint ob bella, & tumultus Hæreticorum.* Secundum fuit, *vt expreſſis verbis declararetur hoc Concilium ſeparatum eſſe, & independens ab omni alio: atque iterum in Examen vocanda, quæ ſub Paulo, & Iulio determinata iam fuerant.*

Legati in ſcriptis reſponderunt ad primũ,

ſe excuſationem acceptare. Ad ſecundum dixerunt, *ſe præſidere Concilio iuxta Sedis Apoſtolicæ literas, talem verò declarationem ad illos ſimpliciter non pertinere, ſed ad Concilium.* Inſtant Cæſarei, *vt de Reſidentiâ fiat declaratio.* Galli, *vt de Dogmatibus non agatur ob ſpem de Hæreticorum aduentu : interim de Reformatione.* Augebantur prætereà turbæ pro continuatione declarandâ aduersùs inſtantias Cęſareorum, atque Gallorum, ita vt timeretur Concilij diſſolutio; ſed tandem ceſſantibus hâc in parte Hiſpanis, pro imminente Seſſione, factum eſt prorogationis decretum die quarto Junij, in quâ Seſſione lectum eſt Archiepiſcopi Salisburgenſis & Galliæ Regis Mandatum, & facta eſt ad Gallos ſatis acris reſponſio. *Seſſio 20.*

Die 16. Iunij in Congregatione Generali propoſitum eſt *de Communione ſub vtrâque ſpecie*, & ſex Articuli Theologis examinandi traditi ſunt. De Reſidentiâ declaratio tranſlata eſt ad tractationem de Sacramento Ordinis. Propoſuerunt Legatis Oratores Cæſarei viginti capita de Reformatione. Reſponſum eſt à Legatis, capita eſſe multa, & ſatis graui ac maturo examine indigere. His igitur atque alijs prædictis de cauſis miſſus eſt ad Pōtificem Lonicanenſis Præſul, carus Pontifici, qui eum de omnibus edocuit, & Pontificis

animũ leniuit. Ferebatur enim multa aliquos in Cõcilio moliri aduersùs Pontificis autoritatem, & Lanſac potius Proteſtantium agere, quàm Regis Galliæ partes: quæ omnia falſa ipſe Lancianenſis varijs rationibus oſtendit.

Interim Tridenti de propoſitis Articulis facta eſt à Theologis relatio. Primus Articulus erat, *an ſit diuinum præceptum Communio ſub vtrâque ſpecie?* Secundus, *an Eccleſia iuſtis de cauſis potuerit ſtatuere Laicos & alios non celebrantes ſub panis ſpecie tantum communicandos?* Tertius, *an totum id, quod habetur ſub vnâ ſpecie, ſit etiam in alia?* Quartus, *an ratio, per quam Eccleſia inducta eſt, vt Calicis vſus tollatur Laicis, ſit talis, vt neque nunc concedi debeat?* Quintus, *an poſito, quod Calix ſit concedendus ſub aliquibus conditionibus, quænam illæ ſint?* Sextus, *an pueri ante vſum rationis ſint communicandi?*

Relatio ſatis concorditer eſt facta; ſolùm fuit diſcrepantia de concedendo Calice, præcipuè in cõtrarium agentibus Hiſpanis, quorum caput erat Archiepiſcopus Granatenſis. Legati difficultatem videntes, nihil amplius de concedendo Calice proponere ſtatuerũt: ſed tantum Articulos illos ſex Patribus perpendendos, & determinandos dederunt. At Cæſarei, & Galli Oratores fortiter inſtite-

runt

runt apud Legatos pro Calice concedendo, quibus Galli ſcriptum quoddam hâc de re obtulerunt.

Sed quoniam in illo pro Calice concedendo aſſumebatur, prohibitionem hanc Calicis non eſſe de iure diuino, ſed humano, in quo facilis vrgente causâ poteſt eſſe diſpenſatio: Legati verebantur, ne conceſſo Calice ſub hoc titulo aperiretur via *ad coniugium Preſbyterorum*, *ad Miſſam linguâ vulgari*, *imò ad tollenda omnia*, *quæ ſunt de iure Eccleſiaſtico*, cum periculo, ne pertingeretur etiam ad ea, quæ ſunt iuris diuini: & ſic tota Eccleſia rueret. Quare principijs obſtare volentes, Legati Oratoribus inſtantibus dixerunt, *negotium hoc ob difficultatē ad aliud tempus transferendum*. Oratores verò petitione excluſi conati ſunt efficere, ne in ſequenti Seſſione de Dogmatibus ageretur, vel in prorogatione ſiſteretur.

Sed omnia fruſtra; nam die 16. Iulij cum Dogmatum definitione facta eſt Seſſio 21. in quâ omnes prædicti Articuli fuerunt determinati exceptis his, qui ad Calicis conceſſionem pertinebant. Reuerſo Româ Lancianenſi turbis omnibus ceſſantibus, Cardinalis Mantuanus Patres admonuit de breuitate, & modeſtiâ in Congregationibus. Factæ ſunt etiam aliquæ leges pro Theologis, in *Seſſio 21.*

examinando, & reſpondendo Articulis proponendis Propoſiti deinde ſunt ad examinandum Theologis nonnulli Hæreticorum Articuli aduersùs SacroSanctum Miſſæ Sacrificium, qui per Principum Theologos diuiſi ſunt. Quare Galli, qui neque Epiſcopos, neque Theologos apud ſe habebant, ſcripſerunt ad Regem, vt ſaltem Theologos mitteret, qui Gallorum cauſas agerent; ne ipſi otioſi, àc ſuo Principi inutiles in Concilio viderentur.

Interim clarè apparebat, Hæreticos per Concilium nihil proficere. Pontifex igitur determinatis his, quæ ad Sacramenta, & ad ſimilia pertinent, Concilium citò abſoluendum ſtatuerat: ſed Galli, qui ad propria ſtudia intenti, rem in longum protrahere cupiebant, in ſcriptis poſtulauerunt à Legatis, vt ad Dogmata definienda vlterius non procederent vſque ad Gallorum Epiſcoporum aduentum, quos breui adfuturos dicebant. Legati in ſcriptis reſponderunt Gallicos Epiſcopos diu exſpectatos, & ante, & poſt Concilij inchoationem; res conuenienter examinatas; Seſſionem imminere, hanc tranſferre ipſos nec debere, nec poſſe. Hæc iterum petentibus eadem eſt data Reſponſio.

Reuerſus eſt hoc tempore ad Concilium Archiepiſcopus Pragenſis, qui menſibus præteri-

præteritis ad Cæſarem iuerat. Hic quandam Reformationis formulam, & Calicis petitionem Legatis obtulit. Ad primum Legati reſponderunt, *hoc intempeſtiuum eſſe imminente Seſſione*. Ad ſecundum, *poſt examen de Sacrificio Miſſæ, conſultaturos*. Quo examine facto ſummâ Theologorum, & Patrum concordiâ, pro Calice concedendo prima ſententia fuit *negatiua*. Secunda *affirmatiua ſub aliquibus conditionibus* Tertia fuit dicentium, *negotium relinquendum Pontificis arbitrio*. Hæc vltima placuit tum Legatis, tum etiam Oratoribus Cæſaris, qui putabant hoc facilius à Pontifice, quàm à Concilio obtineri poſſe. Sed Cæſarei, quamuis hâc in re ſibi ſatisfactum eſſe viderent, inſtiterunt, ne in Seſſione futurâ de Dogmatibus ageretur. Et licet pro eorum petitione, etiam Pontificis literæ adeſſent: Legato perorante, quod literæ iſtæ extortæ præter Pontificis mentem viderentur, Legati vltrà procedendum ſtatuerunt. Quare Cæſarei indignari, conuocauerunt alios Principum Oratores ad agendum de causâ communi. Adfuerunt omnes in domo Cæſareorum exceptis Venetis, & Florentinis, qui dicebant, *non habere ſe hoc in Mandatis à ſuis Principibus*.

In Conuentu hoc determinatum eſt, vt peteretur à Legatis aliqua ſuſpenſio, quoad

Dogmata, & vt tantum de Reformatione ageretur; nam de Dogmatibus nulla erat inter Catholicos dubitatio, & iam abſentes erant illi, cum quibus vigebat controuerſia. Huic determinationi aſſentiri noluerunt Agens Hiſpanus, & Luſitanus Orator, Heluetius etiam Venetorum, & Florentinorum exemplum ſecutus, nihil reſpondit. His exceptis pro tali petitione reliqui Legatos adeunt loquente pro omnibus Landſac. Reſponderunt Legati, *res Fidei à Reformatione ſeparari non poſſe, vt iam ſub initio determinatum fuit; Decreta iam abſoluta eſſe, omnem moram inutilem fore; ſi Galli Reformationem petunt, Articulos mittant.* Reſpondit Lanſac, *Epiſcopos venturos, qui Articulos & alia afferrent.* Tunc Legati: *veniant, quia bene excipientur, atque audientur: Seſſio tamen, vt determinatum eſt, fiet, ſicut & alia poſt duos menſes.*

Seſſio 22. Die 17. Septembris celebrata eſt Seſſio, in quâ poſt Miſſam lectæ ſunt literæ Cardinalis Amadei, de aduentu Patriarchæ Orientalium, eiúſque Fidei profeſſio recitata eſt. Hic ob Euphrate vſque ad Indiam Chriſti fidelibus præeſt, qui partim viuunt ſub Turcâ, partim ſub Perſâ, & partim ſub Luſitano Rege. Ipſe etiam ſiue eius prædeceſſores, ſub Paulo & ſub Iulio III. Romam venerunt ad præſtandum Romano Pontifici debi-

tum

tum obedientiæ obſequium. Luſitanus Orator in ipsâ Seſſione proteſtatus eſt, ſi Patriarcha hic, vt ferebatur, ad Concilium veniret, nulli alteri loco cedere debere. Reſponſum eſt à Promotore, *hâc de re in Congregatione agendum*.

Poſt Seſſionem allatæ ſunt ad ſuos Oratores Regis Galliæ literæ, vt agerent cum Legatis de prorogandâ Seſſione, vel vt ſolùm in illâ de Reformatione, & non de Dogmatibus ageretur. Gallicos Epiſcopos breui adfuturos: ſi verò vlterius ad Dogmata procederetur, eorum aduentum inutilem fore. Eadem petitio facta fuit ab Imperialibus. Reſponſum eſt à Legatis, *ſe pro viribus facturos, vt Principum petitionibus ſatisfiat. Hac tamen maturâ conſideratione indigere.* Propoſiti ſunt deinde à Legatis quidam Articuli de Sacramento Ordinis ad examinandum Theologis; quod autem Tridenti fiebat à Gallicis Oratoribus apud Legatos, etiam fiebat à Gallico Oratore apud Pontificem. Qui Regis Galliæ petitione auditâ, reſpondit: *Gallos ſummâ cum patientiâ viginti octo menſium ſpatio fuiſſe exſpectatos; Cardinalem à Lotharingiâ cum Epiſcopis nunquam diſceſſiſſe ex Galliâ, ob varia apud Regem obſequia; Gallos nolle Concilio adeſſe, Dilationem petere varijs de cauſis; Patres in Concilio ſumptibus, atque incommodis eſſe*

feſſos; Gallicos Oratores aſſerere Tridenti, Concilium non eſſe liberum, ipſos tamen Patribus libertatem adimere. Ad Galliæ Regem nihil ſpectare determinationem de Dogmatibus, cum ipſe Catholicè ſentiat: ſed potius de Reformatione eorum, qui ad beneficia præſertim pinguia, in ipſius Prouincijs promouentur. Quarè, *ſi exſpectandi ſint ex Galliâ Epiſcopi, pro Reformatione certè exſpectandos eſſe; Gallos ſub terminis vniuerſalibus Reformationem petere, ſi quid deſiderent in particulari, proponant.*

Reſponsũ fuit per varia tempora à Theologis circa Articulos de Sacramento Ordinis, qui referuntur octo. Primus, *an Ordo ſit Sacramentum?* Secundus, *de numero Ordinũ.* Tertius, *de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ.* Quartus, *an in nouo Teſtamento ſit Sacerdotium viſibile?* Quintus, *an in Ordinatione accipiatur Spiritus Sanctus?* Sextus, *an manuum impoſitiọ, & cætera Cerimoniæ ſint aſpernandæ?* Septimus, *an Epiſcopi ſint Presbyteris Superiores?* Octauus, *an Epiſcopi aſſumpti authoritate Romani Pontificis, ſint veri Epiſcopi?*

De Reformatione nihil adhuc propoſitũ fuerat; etenim Legati verebantur, ne quidquid proponeretur vel Epiſcopis, vel Principibus, odioſum foret; quare expedito tabellario, rem omnem Pontificem edocuerunt. Sed iam fama tulerat Cardinalem à Lotharingia

tharingia aduentare Tridentum; & Galliæ Rex Abbatem Mande hâc de re ad Pontificem Nuntium miſerat, qui benignè acceptus eſt. Venit hoc tempore ad Concilium Valerianus Herbutus Præmiſſienſis Epiſcopus, Poloniæ Regis Orator, & honorificè exceptus eſt. Præterea Cæſar per literas à Legatis poſtulauit, vt in Dogmatibus determinandis immorarentur; ſpem eſſe, vt poſt Cōuentum Francofurti Proteſtantes ad Concilium veniant, séque illi ſubmittant. Reſponſum eſt à Legatis Proteſtantium, aduentum aut nullum, aut inutilem fore, Concilium pro hâc re immorari non poſſe.

Acceſſit tandem ad Concilium Cardinalis Lotharingus, & Pontificis literis Seſſio ad 26. Nouembris prorogata eſt, ſicut etiam poſtea, ad beneplacitum pro Epiſcopis Gallicis iam præſentibus. Legati interim, quoniam Pontifex eorum petitionibus non tam expreſsè reſpondit, Vintimillienſem Epiſcopum ad illum miſerunt: vt oretenus eum de omnibus edoceret, & ab eo certiores determinationes acciperet. Poſt eius diſceſſum ſub initium Anni 1563. quoniam Legati ſignificauerant Gallicis Oratoribus, vt de Reformatione, quam petebant aliquid proponerent: ipſi habitâ conſultatione cum aliquibus ſuæ Nationis Epiſcopis, obtulerunt Le-

Cardinalis Lotharingus, Gallici Epiſc.

1563.

gatis

gatis 34 Reformationis capita. Quorum plurima, cum ſatis ardua eſſent & noua, placuit Legatis aſſentiente etiam Cardinali Lotharingo, de iſtis conſulere Pontificem per Viterbienſem Epiſcopum, qui etiam in mandatis habuit, vt de nonnullis pro Lotharingo alloqueretur Pontificem. Quo audito Cæſarei inſtiterunt, vt viginti illa Reformationis capita ab illis iam tradita proponerentur die primo.

Die primo Ianuarij Vintimillienſis Romam venit, ſtatímque reddidit ſui aduentus rationem Pontifici, qui cognitis Legatorum petitionibus ſufficienter illis reſcripſit. Expedito tabellario (nam Vintimillienſis Romæ apud Pontificem remanſit) acceſſit poſtea Viterbienſis Epiſcopus, Gallicam Reformationem afferens, quâ cum turbaretur Pontifex. Viterbienſis eius mentem ſedauit per ea, quæ à Lotharingo acceperat: ſignificans Reformationem eiuſmodi, *neque ipſis Gallicis Epiſcopis placere, & ſuo tempore oppoſitum petituros. Cæterum certam eſſe Spem* (quod & Lotharingus ipſi dixiſſe fertur,) *ſi Pontifex concederet Gallis Calicis vſum, Miſſam linguâ vulgari, & Presbyterorum coniugium, facilè omnia alia prætermittenda.* Pontifex Gallicæ Reformationis capita Theologis examinanda tradidit, quorum Cenſuram cum diligenti inſtructione ad Legatos miſit.

Scripſit

Scripſit præterea Pontifex ad Galliæ Regem, ſignificans illi, *in Capitibus de Reformatione propoſitis multa quidem contineri vtilia, ac neceſſaria: aliqua tamen obeſſe Regiæ, ne dum Pontificiæ authoritati: & Vniuerſalis Eccleſiæ regimini pernicioſa eſſe*, quod optimis rationibus declarauit. Reuerſus eſt deinde ex ſuâ legatione Tridentum Vintimillienſis Epiſcopus, qui Pontificis nomine conſolatus eſt Patres, & de proſequendo vſque ad finem Cõcilio illius mentem aperuit. Quare Legati propoſuerunt Theologis examinandos, vt ſuo tempore definirentur, quoſdam Articulos, de *Sacramento Matrimonij*, Gallicis Oratoribus fruſtra inſtantibus, vt Reformationis Capita ab eis propoſita, potius in examen vocentur.

Fuit hoc tempore in Generali Congregatione honorificè exceptus Epiſcopus Haſtenſis Ducis Sabaudiæ Orator. Venit deinde Tridentum Rhemenſis, Epiſcopus Regis Galliæ Orator ad Cæſarem, tunc Oeniponte morantem; cum eo profectus eſt Lotharingus. Varius cuiuſque ſenſus de hoc itinere. Acceſſit præterea Tridentum Salisburgenſis Archiepiſcopi Procurator, petens, *vt Germanorum Epiſcoporum Procuratores poſſint in Concilio deciſiuam ferre ſententiam: hinc ſpem fore, vt quam plurimi hâc conditione vtantur.*

Res

Res delata eſt ad Pontificē. Die 11. Februarij allatæ ſunt Synodo Regis Galliæ literæ de rebus pro Religione feliciter geſtis; & Fereſius Orator Gallus, concinnâ oratione eſt vſus ad Patres, vt rebus Gallicis in Decretis conſulerent. Multa interim, & incerta ferebantur, & de Cæſaris mente Reformationem petentis, & de Bellicis proteſtantium motibus, quare Cardinalis Altemps vocatus eſt à Pontifice ad colligendas copias.

Reuerſus eſt Cardinalis Lotharingus ad Concilium die vltimo Februarij; & paucos poſt dies Cardinalis Mantuanus primus Legatus moritur: & non multò poſt Cardinalis Seripandus, qui moriens magnam in Sanctiſſimam Euchariſtiam teſtatus eſt pietatem ac reuerentiam. Quare Pontifex ante iſtius mortem auditam, Ioannem Moronum, & Bernardum Nauagerum Cardinales Legatos ad Concilium elegerat. Accidit hoc tempore Guiiſiani Ducis mors à quodam Hugonotto ſicario illata; & paulò poſt mortuus eſt alter eius frater, qui fuerat magnus Prior in Gallia; quare Lotharingus duorum fratrum interitu eſt ſatis animo fractus.

Venit deinde Quinque Eccleſiarum Epiſcopus cum Cæſaris literis ad Legatos, quibus etiam tradidit exemplar eorum, quæ ad Pontificem à Cæſare mittebantur. Cæſaris literæ ad

ræ ad Legatos nihil aliud continebant, niſi eius deſiderium, *vt in Concilio ſtatuatur aliquid, quod Eccleſiæ Catholicæ proſit, ſimúlque, vt de Reformatione agatur.* Cæſaris verò literæ ad Pontificem aſpera quædam ac dura perſtringebant, quorum ſenſus erat, *Concilium Cæſaris diligentia ac labore inchoatum, non bene procedere, eſſe diſcordijs plenum, eiúſque diſſolutionem timeri non ſine omnium ſcandalo, & Proteſtantium riſu; hoc malum ipſi Pontifici tribui; Concilium illud non eſſe liberum. Primò quia nihil Tridenti ſtatueretur, quod Romæ non placuiſſet. Secundo, quia nihil proponebatur niſi à Legatis. Tertio, quia ſi qui Pontificis mentem ſequuntur, ſuaſionibus & artificijs vtuntur in eos, qui oppoſitum ſentiunt; Reformationis cauſam in nihilum abijſſe.*

Pontifex his literis acceptis indoluit, quod Cæſar plus ſibi vendicet, quam fas eſſet: tantóque magis, quia harum literarum exempla ad alios Principes miſſa fuiſſe ferebantur. Reſponſum Pontificis ad Cæſarem fuit: *Concilium à ſe conuocatum fuiſſe annuente Cæſare, aliiſque Regibus, ac Principibus Chriſtianis; non quod Pontifex in his pro tuendâ Eccleſiâ illorum nutu, ac conſenſu indigeret; Concilij diſſolutionem, aut ſuſpenſionem nunquam ex parte Pontificis eſſe timendam; Concilium liberum eſſe, non tamen certo ordine carere; illa enim non*

libertas

libertas foret, ſed error. Concilium Tridentinũ aliorum legitimorum Conciliorum normam ac methodum ſequi: in quibus præſente Pontifice Patrum erat approbare ea, quæ à Pontifice proponebantur: abſente eo idem fieret per ipſius Legatos. Si enim cuilibet quidlibet in Concilio proponendi ius eſſet, omnia in confuſionem abirent; neque Concilij libertatem ideo tolli; ſi nihil in Concilio ſtatuatur, quod Romæ determinatum non ſit; hoc enim ipſum, cætera antiqua Concilia fecaſſe, quæ in ſuis Decretis à Romanis Pontificibus acceperunt inſtructionem. Epheſinum à Cæleſtino, Chalcedonenſe à Leone, Trullenſe ab Agathone, Nicænum ſecundum ab Adriano Primo, Conſtantinopolitanum vltimum ab Adriano Secundo. Se dolere, quod excogitentur Decreta contra Pontificis authoritatem, quam ipſe accepit à Chriſto Domino. Quæ Principes per ſuos Oratores petunt de Reformatione, loco ſuo & tempore fient; non eſſe illorum imponere leges Concilio, ſed ab illo accipere, qui quidem ſi Conſtantini, & Theodoſij pietatem imitentur, omnia benè euentura. Harum literarum exempla, quæ ad Cæſarem mittebantur, Pontifex & ad alios Principes miſit, vt & ipſi ad quos Cæſaris propoſitiones peruenerant, etiam reſponſionem reciperent.

Inſtiterunt interim Galli apud Legatos pro ſuis petitionibus, quibus ſicut, & Cæſa-

reis dictum eſt: *exſpectandos eſſe alios duos Legatos Moronum, & Nauagerum. Idem factum eſt à Cæſareis Romæ, ſimul cum Oratore Hiſpano, eadem petentibus. Verum Hiſpanus Orator ſeorſim à Cæſareis, ſui Regis mentem Pontifici aperuit.* Rex enim Hiſpanus nullo modo voluit, vt Calicis vſus, & Presbyterorum coniugium concederetur, vt Cæſarei, & Galli petebant: & hoc expreſsè ipſe Rex ad ſuos ſcripſerat in Concilio, & Hiſpani Præſules hoc obnixè curabant, quod Pontificis voluntati mirificè concordabat.

A die 9. Februarij, vſque ad 18. Martij Theologi reſponderunt, Articulis propoſitis de Sacramento Matrimonij. Viſum eſt primo, *an Matrimonium ſit Sacramentum?* Secundo, *an parentes poſſint filiorum Matrimonia irrita facere,* præſertim *occulta? &, an hæc vera ſint Matrimonia, & an poſſint ab Eccleſia irritari?* Tertio, *an poſſit repudiari vxor ex cauſa fornicationis, & viuente repudiatâ aliam ducere?* Quarto, *an ſit admittenda Digamia? & an Eccleſiæ præceptum de non celebrando Matrimonio certis temporibus ſit Ethnicorum ſuperſtitio?* Quinto, *an Matrimonium ſit anteponendum Cælibatui?* Sexto, *de Matrimonio Presbyterorum.* Septimo, *de Gradibus Matrimonium dirimentibus.* Octauo, an vt quidam falsò aſſerebant, *inhabilitas, & error tan-*

tùm ſint impedimenta Matrimonium dirimentia? Et, an cauſæ Matrimonij ad ſæcularem iudicem pertineant, & non ad Eccleſiaſticum?

Quâ Cenſurâ factâ; exſpectabantur alij duo Legati pro Decretis abſoluendis. & Seſſione celebrandâ Sed Pontifex pro componendis his, quæ à Cæſareis & à Gallis de Reformatione ferebantur, voluit vt Cardinalis Moronus primus Legatus ad Synodalia non accedat, niſi prius ad Cæſarem tranſeat, qui illum de omnibus edoceat. Die 13. Aprilis Cardinalis Moronus Tridentum venit, & de ſuâ legatione literis in Congregatione exhibitis, paucos poſt dies ad Cæſarem profectus eſt. Poſt cuius diſceſſum Cardinalis Lotharingus, qui cum Morono ſimultates habuerat, & Venetijs morabatur, Tridentum reuerſus eſt, & expedito quodam Aulico ad Cæſarem monuit eum, vt venienti Morono inſtaret pro Reformatione.

Inſtabat hoc tempore Princeps Condeus in Gallia, vt Concilium in aliquam interiorem Germaniæ Ciuitatem transferretur, confidens hâc arte Catholicis, & vim & inſidias ſe poſſe moliri. Quo audito Catholicus Hiſpaniæ Rex iratus, literis in Galliam miſſis, item ad Pontificem ſuum ſenſum aperuit de non amouendo pedem à Tridentinâ Ciuitate. Contrà verò Galli, quia videbant apertè

in Tri-

in Tridentino ſe nunquam ſui voti compotes fore, ſuis Theologis conſueta ſubſidia ſuſtulerunt; quare ipſorum quàm plurimi Tridento diſcedere coacti ſunt.

Die 23. Aprilis Cardinalis Nauagerus veſpere, & ſecretò vt iactantiam fugeret, Tridentum ingreſſus eſt; & paulò poſt Cardinalis Moronus à Cæſare ad Concilium reuerſus eſt ad Synodalia proſequenda, poſtquam Cæſaris mentem aliorum ambitione malè perſuaſam informauit atque leniuit. Poſt cuius aduentum pro determinando futuræ Seſſionis die, ad 10. Iunij tempus dilatum eſt. Hoc tempore Comes Lunenſis Hiſpanus Orator, qui diu propter præcedentiam in ſedendo, Concilium adire moratus fuerat, tandem die 21. Maij, Congregationem ingreſſus eſt ſeparatim ſedens, præuià proteſtatione.

Sed Cardinalis Moronus, vt cum Lotharingo rediret in gratiam, ad illum iam reuerſum ex Hoſtià (quod eſt Caſtellum inter Venetos, & Mantuam, quo ipſe Cardinalis Ferrarienſis ex Gallià redeunti in occurſum venerat) viſendum acceſſit: Pontificalibus inſignibus indutus, & præuià Cruce, vt Apoſtolicus Legatus. Obtulit illi 42. Reformationis Capita à Pōtifice tradita, addens ſe nihil ſine eius Conſilio facturū, quem in ſuæ Legationis partē vocabat.

Venit deinde Tridentum Renatus Biragus cum Regis Galliæ literis, in Congregatione expoſitis: ſignificans Regem ex Concilio illo in ſuis Regnis quietem Religionis exſpectare. Petere voluit Biragus, vt Concilium in aliquam interioris Germaniæ partem trāſferretur, ſed monitus à Gallicis Oratoribus tacuit. Reſponſum à Synodo, tam citò non habuit, quia reſpondendi forma Lotharingo non placuit. Quare poſt multa Biragus perrexit ad Cæſarem, ad quem mittebatur; fuit tamen reſponſum Gallicis Oratoribus traditum, qui ad illum miſerunt.

Seſſio 23. Tandem in varijs Congregationibus viſis & examinatis, quæ ſpectant ad Sacramentum Ordinis, Die 15. Iulij celebrata eſt Seſſio in ordine. 23. cantante Miſſam Epiſcopo Pariſienſi, & concionante Alifienſi Epiſcopo. Lectæ ſunt literæ Scotorum Reginæ, & excepti ſunt varij Principum Oratores. Abſolutâ Seſſione Legati ad Concilij finem tendentes, cum iam de Matrimonio à Theologis ſatis conſideratum fuiſſet, dederunt illis examinanda aliqua alia Capita, ſcilicet de Indulgentijs, de Veneratione Sanctorum, & de Purgatorio.

Propoſita præterea fuerunt quàm plurima Reformationis Capita, inter quæ erant aliqua, quæ ad Reges attinebant, nam & ipſi

Reges

Reges etiam Reformationem ſe ſubituros dicebant Verùm Orator Hiſpanus dubitans de ſui Regis mente circa hoc, ſiue alijs de cauſis: Concilium in longum protrahere ſtuduit. Et quidem huius rei varia ferebantur principia, ſiue propria Hiſpanorum in negotijs peragendis mora, ſiue Regis voluntas, vt interim per Concilium aliqua inueniretur via ad ſedandos de Religione tumultus in Belgio creſcentes; ſiue ex Gallorum inſtantiâ; ſiue ex alijs occultioribus, quæ prudentis relinquuntur coniecturæ.

Cum igitur de Concilij abſolutione ageretur. Hiſpanus Orator propoſuit, denuò antè abſolutionem vocandos eſſe Proteſtantes, pro quibus Concilium hoc fuerat inſtitutũ: ſimul voluiſſet, vt Theologi in perpendendis Articulis propoſitis immorarentur. Hac de re certior factus Pontifex, apud Hiſpanos Miniſtros queſtus eſt de Lunenſi, quod tam inſolentia ac vana proponeret, & his de rebus ad ſuum Nuntium in Hiſpaniam ſcripſit. Die 22. Iulij facta eſt Congregatio, in quâ viſis Decretis de Matrimonio, duo propoſiti fuerunt Articuli. Primus, *an deceat coniugatos promoueri ad Ordines Sacros?* Secundus, *an Matrimonia clandeſtina irrita eſſe in poſterum ſtatuendum ſit?* Ad primum reſponſum fuit *negatiuè*, fruſtrà in contrarium loquenti-

bus Pragenſi, & quinque Eccleſiarum Epiſcopis. Ad ſecundum 136. Patres reſponderunt *affirmatiuè*, 57. *negatiuè*, decem *noluerunt ferre ſententiam.* Inter ipſos Legatos etiam aliqua fuit diſparitas, diſputatum eſt etiam de Matrimonij abuſibus & impedimentis.

Propoſita deinde ſunt 30. Reformationis Capita. Conatus eſt Orator Hiſpanus cum alijs Oratoribus perſuadere, vt vota ferantur per Nationes, vt in Conſtantienſi, & Baſileenſi Concilijs; verùm petitioni huic ſe oppoſuit Lotharingus cum Gallis & Luſitanis. Dum hæc agerentur, Lotharingus cupiens, vt citò Concilio finis imponatur, propoſuit Legatis, vt Capita illa de Reformatione amouerent, quæ longas fortaſſe contentiones excitarent; ſimul & Hiſpanum Oratorem rogauit, vt difficultatibus mouendis abſtineret. Oratores Cæſarei in Capitibus propoſitis aliqua omittenda, aliqua diſtinguenda dixerunt: addentes exſpectandum, quid determinandum ſit in Viennenſi Conuentu, quod Legatis ſatis diſplicuit.

Poſtulauerunt prętereà Cæſarei Oratores, vt *in Indice Librorum prohibitorum non ponantur Decreta fieri conſueta in receſſu Conuentuum Imperialium.* Reſponderunt Legati, *Pragenſem Archiepiſcopum eorum Collegam, eſſe i-*

ſtius

ſtius Congregationis Caput, quare ad illum hæc referenda eſſe. Galli Oratores curioſa Reformationis Capita obtulerunt. Veneti Sabaudi, Florentini non nihil in illis Capitibus circa ius patronatus emendandum dixerunt. Orator Hiſpanus, licet omnia bene ſtare dixiſſet, aliquid tamen addendum, vel minuendum ſignificauit. Legati habitâ conſultatione cum Lotharingo, & Madrutio, ſtatuerũt proponere Patribus Capita illa, quæ magis vacarent difficultatibus, neque omnia ſimul, ſed partim, & ſucceſſiuè, vt facilius examinentur.

Die 11 Auguſti inceperunt fieri variæ Congregationes pro Canonibus condendis de Matrimonio, & in determinando de nuptijs filiorum familias. Vbi oblatâ occaſione definitum eſt de Matrimonijs clandeſtinis, *vt in poſterum illa tantum Matrimonia ſint valida, etiam in foro conſcientiæ, quæ fiunt coram Parochô, & teſtibus.* Venerunt deinde Cæſaris literæ ad Legatos, quibus petebatur, *vt de Principum Reformatione non ageretur, niſi poſt eius reſcriptum*; paulo poſt venerunt literæ à Galliæ Rege ſatis acres aduersùs Capita illa, & præcipuè aduersùs ea, *in quibus erat de Principum Reformatione*, iubente Rege ſuis Oratoribus, vt ſtarim atq; his de rebus in Cõcilio agi cognoſcerent, Tridento diſcederent, & Venetias pergerent. H 4 Nun-

Nuntius iſte turbauit admodum Patres, vnde centum ex illis fœdus inierunt, ſe nunquam Reformationi aſſenſuros, niſi de Principum Reformatione ageretur. Præterea Hiſpanus Orator Synodales res in longum protrahere ſtudens, ſuſcitauit quæſtionem de declaratione apponendâ ad verba illa: *proponentibus Legatis*. His de cauſis prorogatus eſt Seſſionis dies ad 11. Nouembris, quod etiam Pontifici placuit, vt Lotharingus ab ipſo iam diu exſpectatus, hoc temporis interuallo Romam accedere, & inde Tridentum redire poſſet. Romam veniens Lotharingus in proprio Pontificis Palatio per benignè exceptus eſt; & multa ambos de Concilio collocutos, atque etiam multa à Pontifice eius conſilio facta fuiſſe, narratur.

Interim Legati in Concilio poſt diſputationes in oppoſitas partes de clandeſtinis Matrimonijs, pro maiori veritatis euidẽtiâ: ad Reformationis negotium cõuerſi ſunt. Et quoniam centum illi Patres prædicti, pro Principum Reformatione immobiles erant, ſtatim ac primum verbum hâc de re propoſitum fuit, Ferrerius Orator Gallus, longâ oratione eſt vſus pro ſuo Rege huic Reformationi non aſſentiente. Quæ oratio omnibus diſplicuit, etiam ipſis Gallicis Epiſcopis, erat enim vel hæretica vel ſuſpecta de hæreſi, & ſatis

arrogans

arrogans: quod cum de Principum Reformatione in communi ageretur, ſolus vnus reformari nollet.

Orationis exemplar Legatorum opera per eos, qui interfuerunt, vt fieri potuit cõpoſitum eſt: ſed Galli aſſerentes illud ab eorum dictis diuerſum eſſe, emendatam orationem in publicum obtulerunt, quæ ad Lotharingum miſſa eſt Romam. Anonymus quidam Concilij nomine huic orationi reſpondit: aduersùs quem facta eſt à Gallis Apologia. De quâ oratione indoluit Lotharingus, & dixit, *ob ſuam abſentiam hæc eueniſſe*. Putabatur factum Hæreticorum fraude ad turbandum Concilium, & Lotharingus hac de re per literas queſtus eſt apud Regem, & apud Oratores.

Cogitabat Pontifex, *Principum Reformationem fieri poſſe non imperando, ſed conſulendo*: & mirabatur, quod hi, qui Concilij libertatis fautores videri vellent, omnium maximè eius libertati obſtarent. Scripſit verò ad Legatos, *vt ad vlteriora Patres procederent; Galli diſcedant, ſi velint, ipſis tamen diſcedendi cauſa ne præbeatur*. Verùm Principum Reformationi Oratores omnes poſtea obſtiterunt. Quare die 7. Octobris in Generali Congregatione determinatum eſt, in futurâ Seſſione ſtatuendum *de Matrimonio, & de* 21.

Reformationis Capitibus iam examinatis. Sequenti die Galli Oratores, qui per aliquot dies in propriâ domo cum reliquis ſuæ Nationis Epiſcopis (multi enim diſceſſerant) otioſi manebant, relicto Tridento Venetias diſceſſerunt.

Inde, quoniam Hiſpanus Orator inſtabat pro declaratione verborum *Proponentibus Legatis,* tribus Canoniſtis commiſſa eſt cauſa, vt ſimul cum ipſo Oratore declaratio fieret. Sed præſtò fuit Lotharingus, qui à Pôtifice optimè inſtructus Tridentum venit. Hic ſumma prudentia egit cum Oratore Hiſpano, & controuerſiam ſedauit. Ipſe etiam curauit, cum eſſet Venetijs cum Gallis Oratoribus, vt ſaltem in fine Concilij Tridenti adeſſent. Die igitur 11. Nouembris celebrata eſt Seſſio, in quâ lectæ ſunt literæ Margaritæ Parmenſis ex Belgio, & exceptus eſt ex Melitâ Militum Sancti Ioannis Orator. In Decreto de Matrimonio Clandeſtino eadem ferè fuit diſcrepantia, de quâ ſupra dictum eſt.

Seſſio 24.

Pro abſoluendo Concilio facta eſt priuata Congregatio in domo Cardinalis Moroni, conſtans ex Legatis, duobus alijs Cardinalibus, Lotharingo, & Madrutio Oratoribus Principum, & 25. Epiſcopis, delectis ex notioribus. In ipsâ omnium conſenſu (excepto

pto

pto Oratore Hiſpano, cum ſuis, qui dixit reſcribendum Regi) determinatum eſt, finem imponendum eſſe Concilio. Rebus igitur ad exitum tendentibus, & ſufficienter examinatis his, quæ ſpectant *ad Indulgentias, Venerationem Sanctorum, & Purgatorium*, atque definitis illis, quæ attinent ad Reformationem: & quidem quo ad Principes tantùm quędam communia, & antiqua in Decretis ponenda: cum de Concilij abſolutione ageretur, determinatum eſt, *petendam eſſe à Romano Pontifice omnium Decretorum confirmationem, tam eorum, quæ ſub Paulo Tertio & Iulio Tertio, quam ſub Pio Quarto Pontificibus, facta fuerunt*.

In Capite vbi agebatur de Epiſcopi authoritate ſupra Capitulum, quoniam Hiſpani Epiſcopi communem cum Rege hàc in re cauſam haberent, ſcripſit Hiſpanus Orator ad eum, qui Romæ apud Pontificem erat, vt Regis cauſam ageret. Quo audito reſpondit Pontifex, *de hoc agendum in Concilio*; addidit Orator: *Patres in dies mutari*, ſubiunxit Pōtifex, *mutantur quia liberi ſunt*, arguens Lunenſem, quod tam obnixe inſtaret aduersùs verba illa: *proponentibus Legatis*. Poſtulatum præterea fuerat à Pontifice per ipſum Oratorem Hiſpanum, vt imperaret Patribus, ne tam cito Concilio finem imponerent. Reſpondit

ſpondit Pontifex *hoc petendum à Patribus in Concilio. quorum libertati ipſe Rex maximè fauet*; & dicente Hiſpano : *totum mundum optare, vt Concilium apertum diu permaneat*; reſpondit Pontifex, *inquire Ptolomaicas tabulas, & cognoſces, an Hiſpania ſit totus mundus?*

Scripſit Lotharingus ad Ferrerium Oratorem Gallicum, vt ad Concilium rediret, *eò quod in Decretis nihil eſſet aduersùs Principes.* Ille autem redire noluit, aſſerens in Decretis illis multa eſſe aduersùs Gallicanam Eccleſiam. Laborabat Lotharingus, & Oratores Cæſarei, vt Lunenſem à ſententia de non abſoluendo Concilio amouerent. At Legati audito Nuntio de aduerſâ Pontificis valetudine, nihil amplius immorandum dixerunt; ſed coarctantes futuræ Seſſionis diem, ab Hiſpano Oratore petierunt, vt *communi omnium voto de claudendo Concilio* aſſenſum præberet. Ipſe verò contrà habito cum ſuis Colloquio proteſtationem parabat. Sed Legati diſpoſitis omnibus ad Seſſionem, & in Congregatione præſcripto omnium conſenſu (exceptis Hiſpanis) Seſſionis die, ſtatuerunt etiam inuito Lunenſi Concilium claudere. Quare Lotharingus & Cæſarei denuò Lunenſem adeuntes, tandem coegerunt eum, vt ſuum aſſenſum præſtaret.

Quare die tertio Decembris celebrata eſt Seſſio 25.
eſſio, in quâ orationem habuit, Hierony-
ıus Ragozonius, Nazianzenus Epiſcopus;
ecta ſunt Decreta in illo, & ſequenti die
mpoſitus eſt Concilio finis. Additæ ſunt
Patrum acclamationes in fine Concilij præ-
oquente Lotharingo, & alijs ſequentibus.
Altero autem die factum eſt Patrum Subſcri-
ptio ex Legatorum mandato. Fuerunt ſub-
ſcribentes Cardinales Legati quatuor, & alij
duo Cardinales; Patriarchæ ſeptem; Archi-
epiſcopi viginti quinque; Epiſcopi 268.;
Abbates ſeptem; Generales Ordinum ſe-
ptem; Abſentium Procuratores 39.

Conualuit Pontifex, & allato Nuntio de Concilij abſolutione eſt lætata vrbs vniuerſa. Pro Concilij confirmatione inſtituta eſt Congregatio ex octo Cardinalibus, deinde illis additi ſunt alij Præſules, & Miniſtri in Romanâ Curiâ. Tandem ex ſententia Hugonis Boncompagni Daſirenſis Epiſcopi definita eſt, *omnium Decretorum Confirmatio, tam eorum, quæ ad Fidem, quàm etiam eorum, quæ ad Reformationem ſpectant*. Monuit idem Hugo Pontificem, vt mandet, *ne cuiquam liceat paſſim Concilij Tridentini Decreta ad libitum explicare, aut illi Gloſſas & declarationes apponere; ſed omnis declaratio à Sede Apoſtolicâ pendeat, & hoc, vt Concilij Decreta illibata, & incorrupta permaneant*.

Die

1564. Die igitur 26. Ianuarij 1364. oblatum eſt Pontifici in Conſiſtorio *Decretum de petendâ Confirmatione, in vltimâ Seſſione editum*, qui viſo Decreto, & habitis affirmatiuis Cardinalium votis (exceptis duobus à Sancto Clemente, & Alexandrino, *qui dixerunt per Concilium hoc multùm tribui Epiſcopis*) Confirmationis ſententiam protulit. Bullam præterea de eiuſdem Confirmatione edidit, & per Chriſtianum Orbem pro illius executione Nuntios miſit.

SECVNDA PARS CENSVRÆ.

Aduersùs ea, quæ falſa, quæ impia, quæ Hæretica in Petri Soaue Polani Pſeudo Hiſtoria inueniuntur.

TANTA ſunt, & falsa, & emendatione, & confutatione indigentia, quæ in volumine illo diſperſa ſunt: vt niſi ſub aliquo ordine in Sectiones, & Capita diſponantur, pro confutatione confuſionem adducant. Primò igitur quandam Præfationis partem conſiderabimus, quæ in ſe habet

omnis

omnis impietatis & falſitatis compendium. Secundò obſeruabimus mendacia & contradictiones. Tertiò perpendemus ea, quæ ſpectant ad Concilia in vniuerſali. Quartò cōſiderabimus ea, quæ ad ipſud Tridentinum Concilium in particulari attinent. Quintò reſpondebimus argumentis, quæ aduersùs Pontificis Bullas, & Concilij Decreta adducuntur.

SECTIO PRIMA.

De his quæ impiè ac ſtultè in ſecunda Præfationis Parte apponuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Delectus eorum, quæ hoc loco ſub Cenſura ponuntur.

AVctoris præfatio in ſuam Hiſtoriam commodè in duas partes diuidi poteſt. In primâ proponit, *quâ de re ſcribendum, quo labore & induſtria vſus ſit in cōpilandâ Hiſtoria, ac vnde hauſerit illam.* De hâc parte hoc loco nihil ad nos, de illa enim fortaſſe aliquid attingemus in Sectione ſequenti, cum agemus de illius mendacijs.

In ſecundâ Parte Auctor erumpit in Blaſphemias, declarans *peſſimum huius Concilij exitum*

xitum ex libidine eorum, qui fuerunt huius Celebrationis Miniſtri. Poſtquam enim dixerat, *omnia in celebrando Concilio artificiosè, & proprijs ſtudijs ab vnoquoque facta* prorumpit in hæc verba:

Etenim Concilium hoc, Quod pij viri ardentibus votis flagrantes inſtiterunt, ad vniendam & conglutinandam Eccleſiam, quæ iam cæperat fatiſcere, ac diuidi: contrà tantâ partium obſtinatione ſchiſma firmauit, vt reconciliationis Spes omninò decoxerit. Quod Principes ad Ordinis Eccleſiaſtici Reformationem celebrandum curauerunt: maiorem, quàm aliàs vnquam, ex quo nomen Chriſtianum fuit, in Eccleſiam induxit deformitatem. Quod Epiſcopi Antiſtitum authoritatem illis in integrum reſtituturum ſperabant: (quam penè vniuerſam ipſis ademptam Romanus Pontifex ad ſe traxerat,) eandem totam, & integram abſtulit, eóſque in maiorem ſeruitutem redegit. Quod denique Romana Curia, vt odioſum, & formidabile effugere cõcupierat, tanquam vnicum, & in ſpeciem efficax remedium modum imponendi immenſæ illi potentiæ: quæ ex paucis initiis lapſu temporum excreuerat in infinitum: eam ſibi ſubditis tam validè fixit, vt nunquam ipſa tam firmis radicibus innixa eſſe videatur. Hæc ille.

Qui etiam neſcio quâ ratione, Concilio huic Iliadis nomen imponendum cenſet.

Verba

Verba, quæ retulimus, vt impia ſunt, & ſtulta, ita illorum confutatio maximè prodeſt ad redarguendam Hæreticorum iactantiam, qui his maximè aſſertionibus, & mendacijs ſuas blaſphemias firmare conantur; & eſt quidem in his verbis omnium Hæreticorum iniquitatum compendium. Diuiditur hæc ſemipræfatiuncula (vt planè apparet) in quatuor Partes. Prima attinet *ad viros pios cupientes Concilium*. Secunda *ad Principes*. Tertia *ad Epiſcopos*. Quarta *ad Romanam Curiam*, *ſiue ad Romanos Pontifices*. De his omnibus breuiter, ac ſeparatim agendum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Viris pijs Concilium cupientibus.

PRima particula, quæ ad Viros pios pertinet, his verbis concluditur. *Etenim Concilium hoc, quod Viri pij ardentibus votis flagrantes celebrandum inſtiterunt, ad vniendam & conglutinandam Eccleſiam, quæ iam cœperat fatiſcere, & diuidi: è contrà tantâ Partium obſtinatione Schiſma firmauit, vt reconciliationis ſpes omnino decoxerit.*

Enimuerò in his verbis conſiſtere videtur vniuerſa Tridentini Concilij cauſa, ſi enim Conciliũ hoc optatum fuit, *vt diſcordantes in Religione ſententiæ in Concordiam venirent, &*

hoc modo Eccleſia quæ diuidi incipiebat, ad Vnionem rediret: cum per Concilium hoc, vt aſſeritur oppoſitum factum fuerit, certè dicendum erit fuiſſe fruſtratorium, inutile, ac perniciosum. Hic eſt ſenſus blaſphemantis Hæretici, qui ſummâ vtitur æquiuocatione, ac fraude, iuxta Hæreticorũ mendaciũ, qui falſo æquales, imò maiores in Eccleſiâ Partes cũ Catholicis habere contendunt: quaſi Concilium inſtituendum fuerit, non ad damnandas eorum hæreſes, ſed ad concordandas opiniones. Quare, ſimpliciter loquendo, eſt hæretica propoſitio, aſſerere: *Concilium hoc, vel inſtitutum vel inſtituendum fuiſſe, vt diſcordantes de Religione ſententias conciliaret*, ſed potiùs Catholica ſententia eſt, *Concilium Tridentinum inſtitutum fuiſſe ad declarandas falſas atque hæreticas opiniones illas, quæ Catholicæ Veritati aduerſantur*, quod per Concilium hoc ſedulò ac diligenter eſt factum.

Quapropter Viri pij hoc loco ſecundum Hiſtorici ſenſum non ſunt homines verè Catholici & Sancti: ſed vel homines nutantes in Fide Catholicâ, vel decepti ab Hæreticis, vel Hæretici ipſi: qui non ſemel varijs artibus conati ſunt agere, vt per Concilium ſuæ Blaſphemiæ confirmentur. Verum tota vis, & fraus Hiſtorici, conſiſtit in accipiendo æquiuocè nomen Schiſmatis. Aſſerendo *Ec-*

Conci-

cleſiam fuiſſe diuiſam, & ad vniendam illam Concilium fuiſſe oppoſitum, quod tamen magis auxit, atque firmauit diuiſionem, quæ alio nomine Schiſma dicitur. Non inficior Schiſma etiam Hæreſin vocari poſſe, vtrumque enim nomen diuiſionem ſignificat: verùm ſi conſiderentur hæc duo nomina, vt hoc tempore accipiũtur, pręcipuè apud Latinos, cognoſcetur profectò Hiſtrici ęquiuocatio & fraus.

Aduertendum eſt ergo, quod Schiſma dupliciter ſumi poteſt, ſcilicet formaliter, & materialiter. Primo modo ſumptum, *Schiſma nihil aliud eſt, niſi quædam ſpecies Hæreſis,* & de hoc loquitur S. Thom. 2. 2. quæſtio. 39. Art. 1. ac dicit eſſe, *quando homo ſe diuidit ab Eccleſia, cuius caput eſt Romanus Pontifex, nolens obedire illi.* Secundo modo, *Schiſma eſt quædam diuiſio in Eccleſiâ, quando ſunt ex aliquo errore plures ſedentes in Apoſtolica Sede, vt euenit ſeculis elapſis. Primum Schiſma non eſt, niſi inter Catholicos ex vnâ, & Hæreticos ex alterâ parte: illud enim Schiſma, vt diximus Hæreſis quædam eſt. Secundum Schiſma poteſt eſſe etiam inter Catholicos.*

Sed Hiſtoricus ſummo artificio, & fraude confundens nomina, & nominum ſignificationes, ponit Hæreſin ſub nomine Schiſmatis; & non quidem Schiſmatis primo modo ſumpti, ſed ſecundo modo, quod poteſt eſſe

inter Catholicos: vt ſumma impietate inſinuet pares in Eccleſiâ partes, & Catholicos, & Lutheranos habere: &, vt ſicut per Concilium Conſtantienſe facta fuit reconciliatio fidelium inter ſe ſub vno Romano Pontifice: ita & per Tridentinum facienda eſſet quædam turpis, & impia reconciliatio inter Catholicos & Lutheranos.

Sed abſit. Etenim licet Conſtantienſe præcipuè fuerit inſtitutum ad tollendum illud materiale Schiſma de pluribus ſedentibus in Apoſtolicâ Sede, & conciliandis inter ſe fidelibus: at Tridentinum fuit celebratum ad damnandas Hæreſes, & ad expellendos extra Eccleſiam eos, qui aberrant à Catholicâ Fide. Quæ enim conciliatio poteſt eſſe inter veritatem, & mendacium, inter Chriſtum & Diabolum?

Quod igitur Hiſtoricus vitio tribuit Concilio, *non extinxiſſe Schiſma, non attuliſſe Eccleſiæ veritatem:* imò firmauiſſe Schiſma, *vt nulla amplius ſpes ſit reconciliationis:* ſtultum omnino eſt, & planè ridiculum. Si autem Hiſtoricus iſte carpit Concilium Tridentinum, quod per illud Hæreſes extinctæ non ſint, abſque dubio falsâ vtitur ratione. Hoc enim modo, & Nicænum Concilium reprehendi poſſet, quod damnata per illud Arij Hæreſis multis temporibus varijs in locis

perdu-

perdurauerit, & vſque ad tempora noſtra peruenerit. Hoc enim certè non euenit ex defectu Concilij, ſed ex obſtinatione Hæreticorum.

Verum in cachinnos erumpere eum neceſſe eſt, qui rectè obſeruet extrema Hiſtorici verba dicentis, *quod per Tridentinum Concilium reconciliationis ſpes omninò decoxerit.* Quæ enim reconciliationis ſpes vnquam fuit aut eſſe poterit, cum huius temporis Hæretici, neque vnquam inter ſe conciliari valeant? Teſtis eſt ipſe Hiſtoricus, qui Lutheri & Zvvinglij congreſſus inutiles circa Confeſſionem Auguſtanam, qui in Colloquijs varias, & inextricabiles Hæreticorum diſcordias, & contentiones commemorat. Et certiſſimum ſanè eſt, nullum Concilium quodcunque ſibi fingant Hæretici, poſſe vnquam induratas eorum ceruices emollire, & Satanicæ ambitionis faſtigium, ad vllam moderationis metam redigere.

Legitimum & verum Concilium reſpuunt, conciliabulum petunt; ſed neque in iſto concordes ſunt, nam alij vnam, alij aliam Concilij formam ſibi adſtruunt: in quâ etiamſi conueniant, certè in Dogmatibus, imò in ſuis ipſis Hæreſibus concordare non poſſunt, vt viſum eſt Naumburgi in Conuentu ob Hæreticis inſtituto, Anno 1562. vbi in

ipſis Hæreſibus nullo pacto concordare potuerunt.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Principibus Concilium petentibus.

SEcunda Pars huius Præfatiunculæ, quæ ad Principes ſpectat, talis eſt. *Quod Principes ad Eccleſiaſtici Ordinis Reformationem celebrandum curauerunt: maiorem quàm aliàs vnquam, ex quo nomen Chriſtianum fuit, in Eccleſiam induxit deformitatem.*

Hęc verba falſiſſima eſſe ex eo patet, quod contraria luce ipſa ſint clariora; nam veram ac neceſſariam per Concilium in Eccleſiâ Reformationem factam eſſe, ex ipſis Concilij Decretis apparet. Et quod per illud Eccleſiaſticus Ordo in meliorem frugem redierit, à maioribus noſtris accepimus, qui & ante, & poſt Concilium viuentes de vtroque Eccleſiæ ſtatu teſtes eſſe potuerunt. Quare aperriſſima Blaſphemia eſt, & iniquiſſimum mendacium, *per Concilium hoc maiorem deformitatem eueniſſe in Eccleſiâ, quam fuerit, ex quo nomen Chriſtianum fuit.* Niſi fortè ab Hiſtorico deformitas Hæreticorum more vocetur Catholicæ Religionis cultus & obſeruantia, & obſequium in Apoſtolicam Sedem: vnde & ipſi Hæretici, qui oppoſitas partes

ſectan-

ſectantus, Reformatæ Religionis nomen ſibi vendicare præſumunt. Quod certè apparet ex ipsâ Hiſtoriâ; etenim Reformatio vnicè & principaliter petebatur à Principibus Subditorum Hæreticorum, fraude deceptis: non autem ità ab illis, qui quo ad ſe, & ſuos Subditos profitebantur Catholicam veritatem.

ARTICVLVS QVARTVS.
De Epiſcopis Concilium cupientibus.

TErtia pars pertinet ad Epiſcopos cuius hæc ſunt verba. *Quod Epiſcopi Antiſtitum Authoritatem illis in integrum reſtituturũ ſperabant, (quam penè vniuerſam ipſis ademptam, Romanus Pontifex ad ſe traxerat,) eandem totam, & integram abſtulit, eóſque in maiorem ſeruitutem redegit.*

Quæ hoc loco ab Hiſtorico aſſeruntur, duo ſunt: primum de Romano Pontifice, ſecundum de Concilio in Ordine ad Epiſcopos. Primum ſumma blaſphemia eſt, & Hæreſis. Secundum apertum mendacium, vt ex Concilij Decretis, & ex ipsâ Hiſtoriâ apparet. Carpit primò Hiſtoricus ius illud, quod Romanus Pontifex habet ſuper Epiſcopos, quatenus ipſe eſt vniuerſalis Eccleſiæ caput: vnde prout Eccleſiæ neceſſitas, & commodum ſuadet multa ſibi reſeruat, multa Epi-

ſcopis imperat, atque alia facit, vt totius Dominici Gregis Rector & Cuſtos. Verùm per hoc Hiſtoricus iſte ex eorum numero ſe eſſe declarat, apud quos Papæ nomen eſt odioſum,& deteſtabile. Sed eſt antiquiſſima Vniuerſalis Eccleſiæ praxis, ſunt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, ſunt piorum, & doctiſſimorum Virorum volumina, quibus Romani Pontificis authoritas, vt ipſe Petri Succeſſor eſt, Sole clarius demonſtratur. Hæc videant, qui Hiſtorici huius, & Hæreticorum inſaniam cognóſcere ſtudent; non enim meum eſt hoc loco volumina voluminibus coaceruare.

Quo ad ſecundum,extant, vt diximus SacroSancti Concilij Decreta, quibus mendacium hoc apertiſſimè improbatur, & paſſim ex ipsâ Hiſtoriâ Epiſcoporum Ius auctum eſſe inuenitur. Vnde ipſemet Hiſtoricus refert, *quod cum Romæ ageretur de confirmandis Concilij Decretis, duo ex Cardinalibus Decreta ipſa non confirmanda dixerint, quia per illa plus quàm par eſſet, Epiſcopis tribuatur.*

ARTICVLVS QVINTVS.
De Concilio in Ordine ad Romanum Pontificem.

VLtima illorum verborum pars ad Romanum Pontificem ſpectat, quæ talia ſunt:

ſunt: *Quod deniq; Romana Curia, vt odioſum, & formidabile effugere concupierat, tanquam vnicum, & in ſpeciem efficax remedium modum imponendi immenſæ illi potentiæ: quæ ex paruis initijs lapſu temporum excreuerat in infinitum, eam in ſibi ſubditis, tam validè fixit, vt nunquam ipſa tam firmis radicibus innixa eſſe videatur.* Hæc illius ſunt verba, quorum falſitatem diligentius perpendemus. Aſſerit primò, *Romanæ Curiæ Concilij nomen formidabile, & odioſum fuiſſe, & ob id illud effugere concupiſſet:* ſi Romanæ Curiæ nomine Hiſtoricus intelligit Cardinalium Collegium, qui ſunt nobilior, & præcipua Pars Romanæ Curiæ, imò in quibus conſiſtere Romana Curia abſolutè videtur, ipſe Hiſtoricus ſibi contra dicit. Ipſe enim in ſuâ Hiſtoriâ ſcribit, *quod ortâ Lutheri Hæreſi Cardinales Sede vacante, ante Pontificis electionem iurare conſueuerint, ſi electio in quemlibet eorum ceciderit, curaturos, vt aduerſus præſentes Hæreſes Concilium conuocetur.*

Si autem Romanæ Curiæ nomine venit ipſe Romanus Pontifex, etiam mentitur Hiſtoricus. Nam ſub Hæreſis initium Leo decimus de Concilio cogitauit. Adrianus eius Succeſſor promiſit illud Germanis: nec promiſſum fuiſſet irritum, niſi mors fuiſſet impedimento. Clemens verò Septimus non

obſtitit Concilio, *ſed illud Hæreticorum obſtinationi inutile fore* prædixit, illúmque Prophetico ore locutum fuiſſe, rerum exitus declarauit. Cæterum verum, ac legitimum Concilium optatum ab illo ſemper fuiſſe, nec Hiſtoricus ipſe negabit. Paulus Tertius, etiam ſi propter præpoperam electionem nullo iureiurando teneretur, ſtatim de Concilio cogitauit: & quamuis varijs humanis accidentibus, præcipuè Hæreticorum artibus impediretur, Concilium celebrandum curauit; quem Iulius Tertius ſecutus eſt; & tandem Pius Quartus SacroSanctum opus inceptum perfecit. Marcellus Secundus, & Paulus Quartus, qui ante hunc fuerunt non refugerunt Concilium: ſed primus initio Pontificatus fuit morte præuentus. Secundus verò quamuis ſatis turbatum acceſſiſſet Pontificatum, Legatos tamen ad Principes miſit pro Concilio proſequendo, quod & effeciſſet, niſi mors impedimento fuiſſet.

Sed verè, vt Hiſtoricus inquit, *Concilium, de quo ipſe loquitur Hæreticorum ſenſu fuit odioſum, & formidabile Romanis Pontificibus, & Romanæ Curiæ.* Hæretici enim voluiſſent non Concilium, ſed Conciliabulum, impijs, & blaſphemis legibus, vt ex ipſa Hiſtoria nos retulimus: at Concilio legitimo, & vero, ſicut Romani Pontifices adhæſerunt, ita Hæ-

retici

retici & vi, & contentionibus, & artificio, & fraude ſemper aduerſati ſunt. Quod verò Hiſtoricus dicit, *Concilium eſſe vnicum, & efficax remedium modum imponendi Romani Pontificis authoritati*, hoc falſiſſimum eſt, & Hæreticorum iactantia, de quo propria infrà inſtituetur diſputatio. Dolet poſtea Hiſtoricus, dicens, *Pontificiam poteſtatem ex paruis initiis, lapſu temporum in infinitum excreuiſſe.* At verba hæc, ſi mente & ore Catholico proferrentur, veriſſima eſſent, ſed quia ex animo impio, atque Hæretico oriuntur, horrendæ blaſphemiæ ſunt.

Etenim ſi ex paucis Paſtoribus, & Piſcatoribus parua initia habuit Eccleſia Chriſti, quæ nunc Regibus, & ſummis Principibus imperat: *Si grano Synapis*, à Chriſto Domino comparatur, *quod minimum eſt omnium ſeminum, cum autem creuerit: maius eſt omnibus oleribus: & fit arbor, ita vt volucres Cæli veniant, & habitent in ramis eius:* quid mirum, ſi etiam Eccleſiæ Caput, qui eſt Romanus Pontifex ex paruis initijs lapſu temporum, creſcente Eccleſia, etiam creuerit? in infinitum quidem, ſicut infinita eſt Chriſti poteſtas, cuius ipſe eſt Vicarius. Sed creuit Romani Pontificis poteſtas, non per nouam acquiſitionem, vel per vſurpationem, vt Hæretici ſuis ſeducti phantaſmatibus hallucinantur, ſed

ſed quia antiquitus minor fuit vſus iuxta minorem fidelium numerum, & maiorem eorum innocentiam. Eadem tamen ſemper fuit in Petro, & Succeſſoribus eius ab initio Eccleſiæ, quæ nunc eſt, & in poſterum erit. Verùm de his, vt diximus, plena ſunt doctiſſimorum virorum volumina.

Quod tandem quartò dicit per Conciliũ hoc Pontificiam poteſtatem *firmas in ſibi Subditos poſuiſſe radices*, hæc eſt ſumma Concilij Tridentini laus; cum enim Concilium hoc inſtitutum fuerit aduersùs huius temporis Hæreticos, qui maximè omnium Romani Pontificis authoritatem adſpernabantur, eámq; euertere totis viribus conabantur: eximius fuit huius Concilij effectus, firmare in Romano Pontifice ſummo Eccleſiæ Capite Catholicæ Fidei vnitatem, & Hæreticorum audaciam, atque impias cogitationes opprimere.

ARTICVLVS SEXTVS.

An Concilium Tridentinum dicendum ſit Ilias?

VLt Hiſtoricus noſter in Præfatione ſuâ haberi Poëta, cum tamen Poëta non ſit, niſi quatenus perſepe mentitur. Poëtarum igitur ſales Scriptor iſte imitari cupiens, ſatis

tis ſtulte & inſipide irridet Tridentinum Cõcilium, dicens illud *vocandum eſſe Iliadem*. Verum, quanta ſint in figmento hoc potius riſu, quam confutatione digna, antequam ad grauiora accedamus, animi cauſa libet perpendere. Et certè ex hac vanâ & ineptâ aſſertione ſatis conijcitur, Auctorem hunc, nec Poëtam fuiſſe, nec Iliadem vnquam legiſſe, aut illam vnquam præ oculis habuiſſe. Etenim ſi Auctor iſte ſciret, quid Concilij, & Iliadis nomine intelligi poſſit, erubeſceret ſe in iſtas ineptias eſſe prolapſum.

Et quidem vel Hiſtoricus iſte hoc loco intelligit Concilij nomine Patres, qui Concilium conſtituerunt: additis etiam Principum Oratoribus, & Theologis, & Canoniſtis ac reliquis, qui huius rei cauſa conuenerunt Tridentum, & nullo modo poteſt Iliadi ęquiparari. Ilias enim Poëma, ac liber eſt, Concilium verò hominum conuentus ac cætus. Vel Concilij nomine intelligit Hiſtoricus noſter libellum Decretorum, qui vulgo Concilium Tridentinum appellari ſolet, & reſpondet quidem libellus ille cuiuis alteri libello, ideóque & illi, qui Ilias dicitur. Sed Hiſtorici verba, quæ inde leguntur, non benè reſpondent: cum Hiſtoricus dicat ſe in illius explicatione veritati adhæſurum. Non enim in hac ſua Hiſtoria Tridentini Conci-

lij

lij Decreta explicantur, ſed nonnunquam leuiter oppugnantur.

Verum ſi libellus iſte Tridentini Concilij Ilias vocari debet, quia ad inſtar Iliadis ſit plenus figmentis: hoc & apertum mendacium eſt, & non ſale, & facetijs, ſed liuore, & odio expreſſum. At certè Ilias eſt Tridentini Concilij Decretorum libellus iſte vocandus, quia ſicut Ilias ſummæ venerationi fuit apud Ethnicos, & nunc eſt etiam apud Poëtas: ita Concilium hoc Tridentinum apud Catholicos, & Viros doctos, ac pios, eſt oraculum veritatis, & pietatis: & ſicut *Ilias* ab Alexandro, qui dictus fuit cognomento Magnus *Viaticum* ad bellum vocabatur: ita Concilium hoc, *Viaticum aduerſùs Hæreticorum nequitiam, eorúmque deliramenta*, procul dubio eſt appellandum.

SECTIO SECVNDA.

De Mendacijs.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Mendacijs in Generali.

QVamuis tota, & integra Hiſtoria hæc nihil aliud ſit, niſi continuum mendacium: quæ enim Catholicæ veritati aduerſantur mendacia eſſe neceſſe eſt: ſunt tamen in hâc

in hâc Hiſtoriâ quam plurima obſeruatu digna, quæ non Theologicè, ſed tantum Hiſtoricè loquendo, mendacia eſſe cognoſcuntur: de quibus hoc loco agendum eſt, vt ex eorum euidentiâ quiſque intelligat, quæ Fides huic Hiſtoriæ tribuenda ſit. Vnde ex hoc Capite facillimum erit totam Hiſtoriam improbare.

Et quidem, vt vniuerſaliter obſeruemus: qui totius Hiſtoriæ ſeriem conſiderabit, ſi mentis oculis captus non erit, profectò cognoſcet, quam plurima falſa in ipſo opere inueniri, ad libellum ipſius Scriptoris admixta. Proponit Auctor iſte, *ſe Concilij Tridentini ſcripturum Hiſtoriam, quam nullus Hiſtoricus hucuſque ſcripſerit: etenim Ioannes Sleidanus in ſua Hiſtoria tantum Concilij cauſas antecedentes literis mandauit: reliqui vero Scriptores leuia, ac breuiter de Concilio attigerunt, quæ omnia ſimul collecta ferè minimam partem conſtant huius Hiſtoriæ; quare neceſſe fuit ex varijs manu ſcriptis hinc inde collectis ſummo labore, & diligentiâ Hiſtoriam texere.* Hæc & ſimilia Hiſtoricus in ſuâ Præfatione.

Quæ ergo Fides huic Hiſtoriæ tribui poteſt, quæ à Ioanne Sleidano Auctore Hæretico initium habuit? ſed de Sleidano parum ad nos: ipſe enim tantum prima, & remota Concilij initia ſcripſit. Verum cum totius

Hiſtoriæ

lij Decreta explicantur, ſed nonnunquam leuiter oppugnantur.

Verum ſi libellus iſte Tridentini Concilij Ilias vocari debet, quia ad inſtar Iliadis ſit plenus figmentis: hoc & apertum mendacium eſt, & non ſale, & facetijs, ſed liuore, & odio expreſſum. At certè Ilias eſt Tridentini Concilij Decretorum libellus iſte vocandus, quia ſicut Ilias ſummæ venerationi fuit apud Ethnicos, & nunc eſt etiam apud Poëtas: ita Concilium hoc Tridentinum apud Catholicos, & Viros doctos, ac pios, eſt oraculum veritatis, & pietatis: & ſicut *Ilias* ab Alexandro, qui dictus fuit cognomento Magnus *Viaticum* ad bellum vocabatur: ita Concilium hoc, *Viaticum aduersùs Hæreticorum nequitiam, eorúmque deliramenta*, procul dubio eſt appellandum.

SECTIO SECVNDA.

De Mendacijs.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Mendacijs in Generali.

QVamuis tota, & integra Hiſtoria hæc nihil aliud ſit, niſi continuum mendacium: quæ enim Catholicæ veritati aduerſantur mendacia eſſe neceſſe eſt: ſunt tamen

in hâc

in hac Hiſtoriâ quam plurima obſeruatu digna, quæ non Theologicè, ſed tantum Hiſtoricè loquendo, mendacia eſſe cognoſcuntur: de quibus hoc loco agendum eſt, vt ex eorum euidentiâ quiſque intelligat, quæ Fides huic Hiſtoriæ tribuenda ſit. Vnde ex hoc Capite facillimum erit totam Hiſtoriam improbare.

Et quidem, vt vniuerſaliter obſeruemus: qui totius Hiſtoriæ ſeriem conſiderabit, ſi mentis oculis captus non erit, profectò cognoſcet, quam plurima falſa in ipſo opere inueniri, ad libellum ipſius Scriptoris admixta. Proponit Auctor iſte, *ſe Concilij Tridentini ſcripturum Hiſtoriam, quam nullus Hiſtoricus hucuſque ſcripſerit: etenim Ioannes Sleidanus in ſua Hiſtoria tantum Concilij cauſas antecedentes literis mandauit: reliqui vero Scriptores leuia, ac breuiter de Concilio attigerunt, quæ omnia ſimul collecta ferè minimam partem conſtant huius Hiſtoriæ; quare neceſſe fuit ex varijs manu ſcriptis hinc inde collectis ſummo labore, & diligentiâ Hiſtoriam texere.* Hæc & ſimilia Hiſtoricus in ſuâ Præfatione.

Quæ ergo Fides huic Hiſtoriæ tribui poteſt, quæ à Ioanne Sleidano Auctore Hæretico initium habuit? ſed de Sleidano parum ad nos: ipſe enim tantum prima, & remota Concilij initia ſcripſit. Verum cum totius

Hiſtoriæ

Hiſtoriæ ſeries ſatis magno volumine comprehenſa, ab Anno Domini 1517. vſque ad Annum 1564. quæ ad Concilium ſpectant acta contineat, quæ quidem aut in Sleidano ipſo, aut in alijs Scriptoribus nullatenus inueniuntur: debuiſſet Auctor iſte, qui neque actis interfuit, neque intereſſe potuit, neque illis temporibus vixit, debuiſſet inquam: vt Fidem apud legentes inueniat explicare, vnde hæc collegerit, & ex quibus Bibliothecis, vel Archiuis hæc manu ſcripta habuerit. Alioquin Hiſtoriam hanc demptis his, quæ têporibus Principum eorúmque geſtis, & Concilij actis reſponderunt, non minus à fabulis illis differre putandum erit, quæ vulgo *Zomanza* vocari ſolent.

Verùm, vt ſubtiliùs hæc omnia inueſtigentur, quæ à Scriptore potuerunt eſſe conficta, vtpote quod in nulla alia Hiſtoriâ extant, ad tria Capita reducuntur. Vel enim fuerunt ea, quæ in actis poni, & monumentis inſeri neceſſe fuit; vel fuerunt, quæ ſcribi quidem potuerunt, ſed vt ſcribantur neceſſe non fuit; vel tandem ea, quæ nullatenus ab aliquo potuerunt ſcribi. Quæ ad primum Caput ſpectant, ſunt ipſa Acta Concilij: verùm cum hæc apud Legatos remanſerint, neceſſe eſt, vt Scriptor iſte declaret, quomodo, & à quo ea acceperit.

Quæ

Quoad ſecundum Caput eorum ſcilicet, quæ fortaſſe potuerunt ſcribi, ſed vt ſcriberentur neceſſe, aut opportunum non fuit, cum in hac Hiſtoria inueniantur, falſitatem oſtendunt ex eo: quia hæc vel ſunt contentiones inter Patres, vel inter Theologos, vel ſunt dicta, vel facta in contemptum, aut in præiudicium Concilij, aut Hæreſin & errores continentia, & his ſimilia. Iſta certè vel à nemine ſcripta ſunt, vel ſcripta fuerunt ab his, qui Catholicam veritatem odio ſunt proſecuti, & Romano Pontifici, & Concilio ſunt aduerſati; quare vt plurimum conficta ab illis, nullam Fidem apud ſanæ mentis lectores inuenire debent. Vnde ſatius credendum eſt, cum nullus harum rerum reperiatur Auctor, omnia inuenta fuiſſe ab Hiſtorico hoc, qui primus hæc literis commiſiſſe cognoſcitur. Diſputationes etiam inter Theologos ab Hiſtorico hoc confictas eſſe ſuadetur. Primo, quia, vt plurimum in his quaſi per ambages Hæreſum, & falſæ Doctrinæ ſemina immittuntur. Secundo, quia in his diſputationibus aliquando falſa, & dictu impoſſibilia, eo tempore inter Theologos temere admixta ſunt; qua de re infra.

Illa vero, quæ ad tertium Caput ſpectant, eorum ſcilicet, quæ impoſſibilia fuerunt, vt ab Hiſtorico vllo referantur ſine euidenti fi-

K ctionis,

ctionis, & falſitatis notâ, vel periculo, illa inquam ſunt ſecretiſſima colloquia de rebus maximis inter ſummos Principes, quæ impoſſibile eſt, vt ad huius Hiſtorici aures peruenire potuerint; talia præterea ſunt cogitationes hominum, quas ſolus Deus cognoſcere poteſt, qui ſolus ſcrutator eſt cordium, & cogitationum. Hæc tamen omnia paſſim, & ſummâ temeritate ab Hiſtorico iſthoc ſcripta inueniuntur. Ex his principijs, quæ improbari nullo modo poſſunt, varia deducere eſt falſitatis Corollaria eorum, quæ in toto illo Hiſtorici volumine aduersùs Romanos Pontifices, & Concilium Tridentinum videre eſt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Mendacijs in Particulari.

Et Primo de nonnullis circa Dogmata in Seſſione ſexta.

QVæ mendaciter dicta ab Hiſtorico fuiſſe, probari apertè poteſt, præcipuè ſunt quædam circa eorum examen, quæ Theologis in Concilio proponebantur, cum enim multa fuerint à diſputantibus oretenus dicta, nec poſita in actis: Hiſtoricus pro libidine ſibi omnia finxit, hinc inde diuerſimode diſputantes inducendo, ac referendo ea,

quæ

quæ verè Theologi fortaſſis non dixerunt: ſed tantum quæ fortaſſe probabile eſt illos dixiſſe. At fuiſſet quidem hoc tolerabile, niſi & falſa adiunxiſſet. Etenim ipſe hâc oblatâ occaſione multa incerta, & vana etiam Hæreticis fauendo, non ſemel immiſcuit.

Præterea falſitatis arguitur Hiſtoria hæc, quia Articuli propoſiti, qui referuntur commiſſi ad perpendendum Theologis, Concilij Decretis non rectè reſpondent. Inſuper, quia vt diximus, nonnulla etiam referuntur dicta à Theologis, quæ impoſſibile eſt eo tempore illos dixiſſe. Vt igitur mendacia hæc detegantur, à Seſſione ſexta initium fiat. Nam eorùm, quæ ad præcedentes pertinent, tam ſeuerus Cenſor eſſe nolo.

Pro ſextâ igitur Seſſione ſcribit Hiſtoric⁹, propoſitos fuiſſe Theologis examinandos quam plurimos Hæreticorum Articulos, *Primo 25. de Iuſtificatione, & Gratia. Secundo, ſex de libero arbitrio, tertio octo de Prædeſtinatione.* Et circa hæc tria cognoſcuntur mendaciorum Capita.

Primum eſt, quia Hiſtoricus in referendo examen eorum, quæ ad iuſtificationem ſpectant, & ad liberum arbitrium inducit Theologos potius explicantes, & quodammodo comprobantes, quam confutantes, & damnantes Hæreticorum errores, præcipuè in

rebus tam claris, vt eſt, *quod impij iuſtificatio non eſt tantum per Fidem, ſed per bona opera: quod verum liberum arbitrium inſit in homine, & ſimilia.* Quod ſi circa hæc in diſputationibus ferè nihil in Hiſtoriâ ſufficienter apparet determinatum: cur nulla etiam narratur cõtentio in Hiſtoria, vel in formandis Canonibus, vel nulla refertur in Seſſione diuerſitas in reſpondendo ad verbum *Placet?* ſicut in aliquibus Seſſionibus eueniſſe narrat Hiſtoricus.

Secundum mendaciorum Caput eſt, quia Articuli propoſiti Concilij deciſionibus non reſpondent; nam Canone 21. leguntur hæc verba: *ſi quis dixerit Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum fuiſſe, vt Redemptorem, cui fidant: non etiam, vt Legislatorem, cui obediant Anathema ſit*, & tamen in Hiſtoriâ Articulus iſte non apparet vocatus in examen, cum impoſſibile ſit, vt damnatum fuerit aliquid ſine hoc præuio examine.

Tertium mendaciorum Caput eſt, quia inducitur diſputans quidam Theologus nomine Aloyſius Cataneus aſſignando *diſtinctionem gratiæ in ſufficientem, & efficacem*, quam aſſerit *ſe referre ex D. Thoma*, qua de re etiam ibi diſputaſſe narratur Dominicus Soto, celebris Doctor Ordinis Prędicatorum; & quidem circa hoc tria poſſunt obſeruari menda-

mendacia. Primum quo ad Sanctum Thomam. Secundum, quo ad Theologum iſtum. Tertium, quo ad Dominicum Soto.

Nam primo apud S. Thomã nullibi inuenitur hæc Gratiæ diſtinctio, neque termini iſti, ſed tantum *diſtinctio Gratiæ præuenientis, excitantis, adiuuantis, cooperantis*; de Gratia ſufficienti, & efficaci nulla vnquam fit mentio. Imo & Aluarez de auxilijs lib. 8. diſputatione 71. fruſtra laborat terminos iſtos ex D. Thoma deducere. Secundò Theologum illum veriſimile non eſt terminos illos retuliſſe: cum termini illi non ante Ludouicum Molinam apud Theologos auditi fuerint, inter quem & illum Theologum fere quadraginta Annorum ſpatium interceſſit. Tertio Dominicus Soto fruſtra ab Hiſtorico hoc inducitur diſputans de *Gratiâ ſufficienti, & efficaci*. Etenim in huius Theologi ſcriptis horum terminorum nulla fit mentio, imò & in libro, quem ipſe ſcripſit *de Naturâ & Gratiâ* (quem Hiſtoricus etiam narrat compoſitum fuiſſe, vt vere fuit, in eodem Concilij tempore, & loco) quamuis multas Gratiæ diſtinctiones afferat, de ſufficienti tamen, & efficaci nihil meminit: ſed meminiſſe neceſſe erat, ſi in Concilio de his ipſe diſputauiſſet. Quare falſum apparet, quod idem Sotus in eodem loco, & tempore, & ſub occaſione eâdem,

dem, aliud verbis protulerit, & aliud in ſcriptis reliquerit.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Mendacijs.

Circa Seſſionem ſeptimam & decimam tertiam.

NOn minora inſunt mendacia in his, quæ ab Hiſtorico referuntur pro definitionibus in Seſſione ſeptima: & quidem, vt miſſa faciamus ea, quæ ſpectant ad determinationes de Sacramentis in communi, certe clarè videre eſt Hiſtoricum quam plurima mentitum fuiſſe circa ea, quæ ab ipſo narrantur pro Sacramento Baptiſmatis. Etenim Hæreticorum Articuli, qui in Hiſtoriâ leguntur traditi fuiſſe ad examinandũ Theologis, in multis diſcordant ab his, quæ apparent determinata in Tridentino Concilio: impoſſibile autem eſt, vt ſupra diximus, vt Concilium determinet ea, quæ nullatenus ſint ab Hæreticis in contrarium dicta: aut ſi dicta fuerint, non prius pro eorum damnatione propoſita fuerint ad examinandum Theologis. In ſecundo Canone prædictæ Seſſionis ſeptimæ damnantur ij, *qui aſſerunt aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi.* In ſexto damnantur *aſſerentes Baptizatum*

tum non poſſe gratiam amittere, etiamſi peccet, dummodo credat. In ſeptimo damnantur *dicentes Baptizatos per Baptiſmum teneri ſolum ad Fidem, non ad vniuerſalem Chriſti legem.* In octauo damnantur *dicentes Baptizatos liberos eſſe ab omnibus Sanctæ Eccleſiæ præceptis.* De his, nec propoſitum aliquid fuiſſe in Hiſtoria legitur, nec examen vllum accomodatum.

Præterea fraude, ac falſitate vtitur in his, quæ pertinent ad Seſſionem decimam tertiam circa Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Etenim in ſecundo Articulo, vbi dicebatur, *Chriſtum non manducari Sacramentaliter, ſed ſpiritualiter* tantùm, refert Theologos alios dixiſſe, *id prætermittendum,* alios, *ſuſpectum habendum,* alios tandem *declarandum, neminem tamen damnandum.* Contra vero in Concilio apparet talis erroris damnatio Canone octauo ſub eiſdem terminis. Tertius Articulus ſicut falsò refertur, ita falſa cenſura illi adhibetur, Aſſertio enim Lutheri erat, *Corpus, & Sanguis Chriſti ſunt in Euchariſtia ſimul cum pane & vino.* Quare Lutherus negabat transſubſtantiationem.

Hiſtoricus vero refert Articulum dicens, *in Euchariſtia inueniri Corpus, & Sanguinem Chriſti, hypoſtatice vnita cum ſubſtantia panis & vini.* In Cenſurâ verò dicit, *errorem hunc in-*

uentum fuiſſe à quodam Ruperto, qui vixit quatuor ante ſeculis. Qui quidem error, cum neminem poſtea ſectatorem habuerit, remanſit in ſuis terminis. Quare ſtatuerunt Theologi, Articulum hunc prætermittendum, ne ſuſcitetur lis de errore iam quieſcente. Hæc Hiſtoricus. Et tamen in Decretis Concilij Seſſione decima tertia Canone ſecundo *vtrumque ſiue Ruperti, ſiue Lutheri errorem promiſcuè damnatum videmus.* Articulo decimo, vbi aſſerebatur ab Hæreticis: *neminem teneri ſemel in anno ſaltem tempore Paſchatis accipere Euchariſtiam*, Hiſtoricus dicit, *Theologos ſtatuiſſe prætermittendum*; & tamen per Concilium Canone nono, *errorem hunc damnatum* videmus. Item Canone vndecimo inuenitur damnata Hæreſis dicentium, *quod Sacerdoti non licet ſeipſum communicare*, de quâ tamen re nullum legitur in Hiſtoriâ propoſitum examen. Ex hoc patet, quam mendaciter hæc ſcripta ſint ab Hiſtorico.

ARTICVLVS QVARTVS.

De Mendacijs circa ea, quæ pertinent ad Seſſionem vigeſimam tertiam.

De Inſtitutione & Reſidentia Epiſcoporum.

S*Vmma diſſidia, & contentiones ſub Pio IV. ortas*

ortas eſſe in Concilio, narrat Hiſtoricus,*pro determinando, quod tum Reſidentia, tum Inſtitutio Epiſcoporum ſit de Iure diuino.* Etenim ex hoc inferebatur maxima iactura Pontificiæ authoritatis ſuper Epiſcopos, vnde per totam illam Hiſtoriæ partem *ſummopere laboratum fuiſſe*, narratur, *ne talis determinatio fieret.* Et vtrumque determinatum fuiſſe ex ipſis Concilij Decretis apparet, quod Hiſtoricus negat. Quare vanum, & ridiculum eſt, imò & figmentum mentientis Hiſtorici, ſi declaretur Epiſcoporum Reſidentiam, ſiue inſtitutionem eſſe de Iure diuino: nullam amplius Romanum Pontificem, Authoritatem ſuper Epiſcopos habiturum.

Et quidem, quod ad Reſidentiam ſpectat, certum eſt, quod Ius reſidendi, nihil aliud efficit, niſi, vt Epiſcopus à ſua Eccleſia non diſcedat, non tamen aufert à Romano Pontifice poteſtatem, multa ſibi reſeruandi: quam plurima Epiſcopis indicendi: priuilegia Regularibus concedendi: & peccantes Epiſcopos puniendi. Nam, quod Epiſcopus aliò mittatur pro Vniuerſalis Eccleſiæ vtilitate, ſubſtituto ad Eccleſiæ Regimen idoneo, diuino præcepto non obeſt. Quod vero ſpectat ad Inſtitutionem Epiſcopi, *quod ſit de iure diuino, multùm laborauiſſe Hiſpanos Epiſcopos*, narrat Hiſtoricus,*putantes hac declaratio-*

ne factâ, nullam pateſtatē Romano Pontifici ſuper Epiſcopos relictum iri. Verum ſi Epiſcopi inſtitutio, vt verè eſt, de Iure ſit diuino, quid inde? etiā Presbyteri inſtitutio eſt de Iure diuino, & tamen Presbyteri obediunt Epiſcopo. Vnde nil mirum, ſi & Epiſcopi obediant ſummo Pontifici, vt Succeſſor eſt Petri, qui diuino iure inſtitutus fuit Vniuerſalis Eccleſiæ Caput.

Sed noſtrum non eſt hoc loco hiſce de rebus diſſerere, cum ſolum noſtrum ſit inſtitutum, Hiſtorici fraudes, & mendacia oſtendere. Quod autem in Concilio declaratum ſit: *Reſidentiam eſſe de Iure diuino* iam patet ex cap. 1. de Reformatione, quod incipit, *Cum Præcepto diuino mandatum ſit.* In eo vero, quod attinet ad Epiſcoporum inſtitutionem, multo magis apparet Hiſtorici mendacium, atque ſtultitia: dixerat enim, quod inter alias petitiones ab Hiſpanis factas apud Legatos, pro Epiſcoporum inſtitutione de Iure diuino, fuiſſe hanc: *vt videantur Concilij acta ſub Iulio III.* dicebant enim Hiſpani, in ipſis eſſe *quoddam Decretum non euulgatū, in quo ſtatuebatur Epiſcoporum inſtitutionem eſſe de Iure diuino:* quod Decretum dicit Hiſtoricus *Legatorum fraude fuiſſe abſconditum.*

Barboſa de poteſtate Epiſcopi, qui alios citat.

Addit deinde in progreſſu Hiſtoriæ, quod imminente 23. Seſſione, definiendum erat

rat, prout definitum fuit, de Sacramento Ordinis; & de Epiſcopis Hiſpanis deceptis à Cardinale Morono primo Legato: ceſſiſſe illos ſub ſpe, quod *de Epiſcoporum inſtitutione de Iure diuino agendum erit, cum de Romani Pontificis authoritate iuxta Concilium Florentinum determinabitur.* Negat igitur Hiſtoricus iſte in Concilio, & ſignanter Seſſione 23. determinatum fuiſſe Epiſcoporum inſtitutionem eſſe de Iure diuino. Refert præterea Decretum factum ſub Iulio III. pro Epiſcoporum inſtitutione, quod abſconditum fuiſſe dixerat. Quâ in re non vnum eſt profecto mendacium. 1. Quia debuiſſet Hiſtoricus oſtendere, quomodo id, quod dicit abſconditum Patribus in Concilio fuiſſe, ipſi Hiſtorico manifeſtum apparuit. 2. Quomodo potuit componi Decretum hoc ſub Iulio III., niſi prius Articulus hâc de re Theologis propoſitus fuiſſe referatur? Verum hæc miſſa faciamus; conſiderentur verba aſſerti Decreti huius cum his, quæ de Epiſcoporum inſtitutione Seſſione 23. in Decretis ſcripta leguntur.

Decretum, quod ſub Iulio III. fuiſſe factum aſſeritur, tale refertur: *Docet præterea Sancta Synodus, audiendos eos non eſſe, qui aſſerunt Epiſcopos de Iure diuino non eſſe inſtitutos, cum Euangelicis literis euidenter conſtet, ipſummet Christum vocâſſe Apoſtolos, eiſque Apoſtolicum*

licum gradum promiſiſſe, quorum loco ſucceſſerunt Epiſcopi; nec cogitandum, hunc tam neceſſarium, & eminentem gradum, humanâ inſtitutione Eccleſiæ inductum; hoc enim eſſet detrahere prouidentiæ diuinæ, quaſi in nobilioribus defecerit. Addebatur ad hoc Decretum Canon talis tenoris. *Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe diuino Iure inſtitutos, aut non eſſe Presbyteris Superiores, aut non habere ordinandi Poteſtatem, aut eam illis eſſe cum Presbyteris communem, Anathema ſit.*

Sed videamus, quid de Epiſcoporum inſtitutione in Decretis Concilij definitum ſit, Seſſione 23. capite 4. in doctrinâ: *Proinde Sancta Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui Apoſtolorum loco ſucceſſerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem pertinere: & poſitos, ſicut idem Apoſtolus (Paulus) ait, à Spiritu Sancto, regere Eccleſiam Dei, eóſque Presbyteris Superiores eſſe.* Prætereà Canone ſeptimo, *Si quis dixerit, in Eccleſiâ Catholicâ non eſſe Hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, Anathema ſit.* Et Canone ſequenti, *ſi quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris Superiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem. Anathema ſit.*

Quicun-

Quicunque Decretum vtrumque legit, iam videt in vtroque determinatum fuiſſe Epiſcoporum inſtitutionem eſſe à Deo, & quo ad ſubſtantiam non differre ipſa Decreta: niſi, quod in primo ponitur illa particula, *de Iure diuino*, & in ſecundo ponitur, *à Spiritu Sancto, & diuina inſtitutione*. In cæteris ſæpe conueniunt etiam quo ad verba, præcipue in eo, quod Epiſcopi ſint ſucceſſores Apoſtolorum: quod eſt fundamentum rationis, quare Epiſcopi inſtitutio ſit de Iure diuino.

Hinc patet Hiſtorici mendacium, & ſtultitia. Mendacium, quia dixit *in* 23. *Seſſione non fuiſſe determinatum, Epiſcoporum inſtitutionem eſſe de Iure diuino*. Stultitia imò, & inſania, quia attulit Decretum ſub Iulio III. ſiue fictum, ſiue verum, quod quoad ſenſum, & fere quo ad verba, nihil differt ab eo, quod eſt in Seſſione 23. prædictâ. Hinc patet, quâ digna ſint fide omnia illa, quæ prolixè, & confusè circa actiones, & diſputationes hac de re Auctor iſte in ſua Hiſtoria ſcribit. Sed fortaſſe hæc ab illo artificiosè conficta ſunt, vt occaſione hâc multa contra Romanum Pontificem ingerat, vt apprimè facit: & poſito, quod Epiſcopi non ſint de Iure diuino, ſed de Iure Eccleſiaſtico, via aperiatur, illos tollendi ſimul cum Vniuerſalis Ec-

cleſiæ

cleſiæ Epiſcopo, quod paſſim hoc tempore Hæretici aſſerunt.

ARTICVLVS QVINTVS.
De alijs Mendacijs, & præcipuè de Epiſcopo Gadicenſi.

EVidentiſſimam falſitatem enuntiat præterea Hiſtoricus dicens; quod in examine vltimi Canonis prædictæ Seſſionis 23., *in quo damnantur hi, qui aſſerunt : eos non eſſe veros Epiſcopos, qui Romani Pontificis authoritate adſumuntur*, Epiſcopus Gadicenſis reſpondit : *Canonem hunc emendandum, eò quia Salisburgenſis Archiepiſcopus ſuos ſuffraganeos Epiſcopos eligit, atque confirmat inconſulto Romano Pontifice.* Quo audito addit Hiſtoricus, multos Epiſcopos magnos extuliſſe clamores aduersùs eum, Schiſmatis, atque Hæreſis illum damnantes. Verum quia Epiſcopus ille ſuos defenſores habebat, agentibus Legatis factum, vt Canon in quodam tantum verbo corrigeretur.

Verùm, quam ſint hæc falsò relata, ex eo apparet, quia aſſumptũ de Archiepiſcopo Salisburgenſi, quo vtebatur ille Gadicenſis Epiſcopus, nihil valebat aduersùs definitionẽ Canonis, qui tantum aſſerebat, *Epiſcopos aſſumptos Romani Pontificis authoritate, eſſe veros, & legitimos Epiſcopos.* Poſſunt enim hæc

ſtare

ſtare ſimul: *Epiſcopi adſumpti à Romano Pontifice ſunt veri Epiſcopi: & , Archiepiſcopus Salisburgenſis creat ſuos ſuffraganeos Epiſcopos, inconſulto Pontifice.* Hæc enim ſunt diſparata, neque habent inter ſe repugnantiam,nec conſequentiam. Sed melius,ac verius refertur hoc factum ab Antonio Milledome,in quadam ſua de Concilio Tridentino Hiſtoriola manu ſcriptâ, quam ego inueni Venetijs in Muſæo Pauli de Manhiſio,erudítiſſimi viri.

Hic ergo Hiſtoricus, qui ſub Pio IV. Secretarius Nicolai à Ponte Oratoris Veneti, Concilio interfuit, ſcribit hoc dicens: Quidam Epiſcopus Hiſpanus volens probare Epiſcoporum inſtitutionem eſſe immediate à Deo, aſſumpſit pro medio, *quod multi Epiſcopi non fiant à Romano Pontifice, ſiue nullo habito reſpectu ad illum.* Quod audientes aliqui in Congregatione Epiſcopi clamauerunt: *Epiſcopum illum Hiſpanum ex eorum cætu expellendum, tanquam hæreticum, & ſchiſmaticum*; & *meritò*. Quod dicitur de Archiepiſcopo Salisburgenſi, quocunque modo hoc verum ſit, nihil facit ad rem; hoc enim ex Apoſtolicæ Sedis Priuilegio habet; etenim & ipſe Archiepiſcopus à Pontifice inſtituitur,&Sedis Apoſtolicæ Legatus Natus dicitur. Hæc de Hiſpano illo Epiſcopo.

Multa

Multa præterea Hiſtoricus ex liuore, & odio, multa ex Hæreticorum ſenſu, multa ex inaduertentiâ mendacia profert. Ex liuore quidem, cum dicit, *quod Paulus III. audiens Cæſarem, & Galliæ Regem pace initâ, propoſituros Pontifici Concilij celebrationem, ſtatim ad eos Principes miſit pro celebrando Concilio.* Et in hoc Hiſtoricus male interpretatur Pontificis mentem, quaſi hoc fecerit, vt oſtenderet ſe non timere à Concilio: cum tamen certum ſit Paulum III. ab initio ſui Pontificatus ſemper quæſiuiſſe Concilium. Ex Hæreticorum ſenſu, cum paſſim dicit, *Scholaſticos Theologos in Sacris Literis verſatos non eſſe*, ſed hoc potius riſu prætermittendum, quam rationibus improbandum.

Ex inaduertentiâ verò eſt exemplum de Pio IV., de quo libro quinto Hiſtoricus refert, *quod cum ex literis cognouiſſet Germanos ad Concilium non venturos, ſatis lætus loquens cum Principum Oratoribus, & cum Cardinalibus dixerit: Concilium ſummo hominum concurſu celebrandum, ita vt Tridentina Ciuitas capere gentes non poſſit.* Immediatè poſt addit: *quod, cum concluſum fuerit Germanos Concilio non adfuturos, cogitatum eſt, Gallos proprijs Colloquijs intentos, neque venturos; Hiſpanos fore pauciſſimos; Conciliúmque compoſitum fore ex Italis, quorum multi de non adeũdo excuſationem* poſtula-

poſtulabant. Ecce quomodo Concilium ex Oceano in paludem, & ex gigante in Pygmeum ſit conuerſum! Hæc, an ſint mendacia: prudens iudicet.

SECTIO TERTIA.

De his, quæ pertinent ad Concilium in Vniuerſali.

ARTICVLVS PRIMVS.

An ad Romanum Pontificem pertineat Concilium Generale conuocare, atque ei vel per ſe, vel per ſuos Legatos præſidere?

QVæſtio hæc quamuis à doctiſſimis viris ſatis amplificata, & declarata fuerit, tamen quia Hiſtoricus ſtatim poſt Præfationem hac de re agit, ſicut etiam in Hiſtoriæ progreſſu: ad ſuadendum, *Generalis Concilij conuocationem, ac præſidentiam potius ad Cæſarem, quàm ad Romanum Pontificem pertinere*, quæſtionem hanc non prætermittendam duximus. Præcipuè vt reſpondeatur ad ea, quæ Hiſtoricus in contrarium ſcribit; nos ad Catholicæ veritatis probationem, tantum colligemus nonnulla, quæ apud præcipuos Scriptores inueniuntur.

Catholica igitur veritas eſt, munus hoc Generalia Concilia conuocandi, eíſque præſidendi, ſimpliciter ad Romanum Pontificem ſpectare. Contra vero recentiores Hæretici magis, vt Romano Pontifici contradicant, quam vt ipſi fortaſſe ita ſentiant, munus hoc Cæſari tribuunt.

Catholica noſtra concluſio probatur primo. Illius eſt conuocare Concilium atque illi præſidere, qui eſt caput Catholicæ, ſiue Vniuerſalis Eccleſiæ, talis eſt Romanus Pontifex, Ergo. Maior patet ex terminis, minorem præſuppoaimus, vt ſatis fuſe probatã apud doctiſſimos Scriptores. Nam Cæſar, & quicunque alij ſunt Chriſtiani Principes, ſunt quidem protectores ac defenſores Eccleſiæ, ſed nõ domini aut Magiſtri. Etenim inſtruere Chriſtianos de rebus Fidei habita proportione, ſpectat ad Sacerdotes, non ad ſeculares aut laicos. Confirmatur, quia ſi Epiſcopi eſt conuocare Concilium Diæceſanum: Archiepiſcopi, Prouinciale: Patriarchæ, ſeu Primatis Nationale: pari modo ad Romanum Pontificem, qui eſt caput Eccleſiæ, pertinebit conuocare Concilium Generale.

Secundo probatur ex Epiſtolâ Marcelli Romani Pontificis, in quâ dicitur, *ex traditione Apoſtolorum, Concilia nonniſi Romani Pontificis authoritate celebranda eſſe.* Quam Epi-

ſtolam

ſtolam ad Antiochenum Epiſcopum ſcriptam acceptatam fuiſſe á primo Concilio Nicæno, teſtatur Epiſtola Alexandrinæ Synodi ad Felicem Romanum Pontificem, & Iulius primus in Epiſtolâ ad Oriẽtales, cuius meminit Nicephorus libro 9. cap. 5. Socrates libro 2. cap. 3. Sozomenus libro 3. cap. 9. hoc idem confirmat Concilium Romanum ſub Silueſtro 9. & Leo primus in Epiſtola nonâ.

Tertio probatur, quia Concilium Generale debet eſſe pro toto orbe Chriſtiano, cuius Imperator neq; eſt, nec vnquã fuit Dominus. Contra verò Romanus Pontifex eſt Petri ſucceſſor. & Chriſti Domini Vicarius; præeſt vniuerſo Chriſtiano orbi, & vniuerſæ terræ, in quâ Chriſti Fides colitur. Quod egregie expreſſit Proſper antiquiſſimus ſcriptor in ſuis carminibus:

Roma Petri Sedes, & paſtoralis honoris,
Facta Caput mũdo, quidquid nõ poſſidet armis,
Relligione tenet.

Satis igitur ſit, breuiter hoc loco probâſſe, *poteſtatem Concilia Generalia conuocandi, eiſque præſidendi ad Romanum Pontificem pertinere:* quamuis verum etiam ſit, *Imperatores, alióſque Chriſtianos Reges authoritate & potentiâ ſuâ, eſſe fautores & defenſores Concilij.* Vnde neque Conſtantinus, neque alius quiſquam Princeps potuit dici Concilij Auctor, & Con-

uocator, ſed tantum Executor, atque Protector. Et hoc eſt, quod affirmat Rufinus dicens, *Conſtantinum ex ſententiâ Sacerdotum, Nicænum Concilium connocâſſe.* Cætera, quæ hâc in re pro ſeculari poteſtate in Concilia, Hiſtoricus in ſuo volumine ſcribit, conſueta eius mendacia ſunt, cum ſine fundamento, & probatione aliqua aſſerantur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Accedentibus ad Concilium Generale, & de eorum Iure.

VT occurratur varijs calumnijs ex Hæreticorum petulantiâ, quibus Hiſtoria hæc plena eſt, proponimus hic nonnulla capita: ex quibus breui explicatione quamplúrimæ diluentur difficultates & aduerſariorum fraudes. Primo videndúm eſt, *qui nam conuocandi ſunt ad Concilium?* Secundo, *quid requiratur, vt aliquod Concilium ſit Generale?* Tertio, *quid poſſit Generale Concilium?* Quarto, *an Concilium Prouinciale, ſiue Nationale poſſit idem, quod Generale?*

Ad primum dico, *quod omnia Concilia ab initio Eccleſiæ vſque ad hæc tempora, quæ varijs ſeculis celebrata ſunt, ex Epiſcopis extiterunt.* Concilia enim nihil aliud ſunt, niſi Epiſcoporum conuentus ad Vniuerſalis Eccleſiæ

cauſas agendas à Romano Pontifice conuocati. Solent etiam ad Concilium conuocari Abbates, & Ordinum Generales. ſiue ex cõſuetudine, ſiue ex priuilegio: eo quod & ipſi aliquam habeant cum Epiſcopis ſimilitudinem, circa animarum curam. Iſtorum tantum eſt ferre ſententiam definitiuam, ſiue quoad res Fidei, ſiue quoad Eccleſiaſticas leges. Iſti enim ſolùm hiſce in cauſis veri iudices ſunt, reliqui vero, qui ad Concilium conuenire poſſunt, vel Conſultores, vel diſputantes, vel auditores ſunt, iudices vero nullo modo eſſe poſſunt.

Huic mori, qui ab Apoſtolorum tempore in Concilio Hieroſolymitano in Eccleſiã fuit inductus, & vſque ad hæc tempora perdurauit, nullus etiam impijſſimus Hæreticus auſus eſt aduerſari. Nouatores vero huius temporis, cum eorum Hæreſes in Concilio vero ac legitimo damnandas eſſe cognoſcerent, noua ſibi Conciliorum genera excogitârunt. Vnde & inter alias hâc de re inſanias poſtulauerunt, vt in Concilio, etiam eorum Pſeudodoctores, ſuffragium ferre poſſint, licet Epiſcopi non eſſent, imo ſimpliciter laici: ſperantes ex eorum multitudine, & audaciâ, omnia iuxta eorũ placita euentura.

Primum eorum argumentum erat, *Epiſcopi votum ferunt in Concilio, & iudicant, quia*

doctores ſunt; ergo & hoc faciendi ius habent alij doctores, etiam ſi non ſint Epiſcopi. Reſpondetur quod in Concilijs attendenda eſt, non ſolũ doctrina, ſed etiã dignitas. Alij doctores præter Epiſcopos, ſunt doctores priuati, non publici in Eccleſiâ; at in cauſâ publicâ Eccleſiæ, debent iudicare doctores publici, non priuati.

Secundo, *Res Fidei eſt cauſa communis, quæ pertinet ad omnes Chriſtianos, ergo omnes Chriſtiani debent eſſe iudices, non ſolum Epiſcopi.* Reſpondetur, quod in Eccleſia eſt diſtinctio inter Paſtores & oues; Paſtores ſunt Epiſcopi, ad quos pertinet paſcere oues doctrina Fidei; ad oues autem ſpectat non paſcere, ſed paſci. Quare in Eccleſia debet eſſe ordo docentium, & diſcentium, aliter omnia conuertentur in Chaos.

Tertio, *Concilium Baſileenſe conceſſit Bohemis Hæreticis, vt votum in Concilio ferrent.* Reſpondetur hoc falſum eſſe, vt in Concilij illius Decretis patet; & quamuis hoc verum eſſet, Concilium illud authoritatem non habet, quia non fuit confirmatum à Romano Pontifice; & multo etiam tempore fuit Conciliabulum.

Ad ſecundum dico, *Concilium aliquod, vt poſſit dici Generale, debet eſſe indictum à Romano Pontifice, qui eſt Generalis, & ſummus Eccle-*

ſit Paſtor. Cæterum parum refert, vtrum Epiſcoporum conuenientium numerus ſit magnus, aut paruus. Hinc patet aduersùs calumnias, quæ in Hiſtoriâ ſunt contra Concilium Tridentinum; perſæpe enim dubitat Hiſtoricus, an ex paruo numero Epiſcoporum, vel etiam ex defectu alicuius Nationis non accedentis ad Concilium debeat Concilium vocari Generale? Sed certe Hieroſolymitanum Generale Concilium fuit, & tamen quatuor tantum Apoſtoli interfuerunt; & Nicænum Generale Concilium fuit; & tamen exceptis tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, ex Occidente nemo interfuit. Nam Galli, Germani, Hiſpani, Itali Epiſcopi non adfuerunt, ſed fere omnes erant ex Græciâ, & locis Orientalibus finitimis.

Ad tertium dico, *Concilium ſimul cum Pontifice omnia poteſt, quia habent facultatem determinandi, & determinata exequendi. Separatum verò à Pontifice nihil poteſt, niſi determinare; eius autem determinatio nihil valet, niſi poſt confirmationem Pontificis.* Ab hâc Regulâ excipe Concilium conuocatum ad tollendum Schiſma de pluribus ſedentibus in Cathedrâ Pontificia, vt fuit Concilium Conſtantienſe.

Ad quartum dico, *Hæreticos, vt in Hiſtoriâ ſcribitur, quæſiuiſſe Nationale Concilium, aſſe-*

rentes Concilia quæcunque poſſe determinare ea, quæ ad Fidem pertinent. Probant hoc primo ex verbis Chriſti dicentis: *vbicunque congregati fuerint duo, aut tres in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Secundo, *multa Concilia Prouincialia definiuerunt res, quæ ad Fidem ſpectant, ergo, &c.*

Sed certum eſt in Eccleſiâ Concilia tantum Generalia ſolere determinare de rebus Fidei, quibus cum à Romano Pontifice confirmationem acceperint, qui non obedit, Hæreticus eſt. Antiquitus tamen Nationalia ſeu Prouincialia Concilia determinabant de rebus Fidei ad obſiſtendum Hæreſibus inſurgentibus: ſicut ſeculo præterito in Hiſtoria legitur factum eſſe quid ſimile ab Vniuerſitatibus Pariſienſi, Louanienſi, & Colonienſi aduersùs Lutherum. Sed Nationalis Concilij determinatio nunquam valuit in Vniuerſali Eccleſia, niſi quando acceptata fuit ab illâ, & ab Vniuerſali eius Paſtore, qui eſt Romanus Pontifex. Et tum Concilia illa Prouincialia, ſiue Nationalia Generalium Conciliorum vim habent. Talia fuerunt, Africanum, Toletanum, Auraſicanum &c.

Verum hoc tempore Hæretici Nationale Concilium volebant non ad tollendas, ſed ad augendas & confirmandas Hæreſes. Ad primum ergo dicendum, Chriſtum eo loco

loqui,

loqui tantum, *de congreſſibus ſpiritualibus, & priuatis, non de publicis, & vniuerſalibus.* Ad ſecundum patet ex dictis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Concilium ſit ſupra Papam, an è contra?

QVamuis quæſtio hæc fusè apud Doctores examinata inueniatur, tamen non prætermittendam putauimus; tum quia in Hiſtoriâ non ſemel hâc de re eſt ſermo; tum etiam, quia ex eius explicatione, quam plurima obſeruanda erunt, quæ ad confutandos falſos Hiſtorici ſenſus admodum valent, & in vniuerſum pro deſtruendo huius totius operis fundamento. Suppoſito igitur, quod Pontifex, & Concilium ſeparatim ſumpti nõ ſint paris authoritatis, ſed quod debeât ſubordinari inter ſe, oppoſitum enim eſt impoſſibile, & nemo aſſerit: Quæritur, *an Pontifex ſit ſupra Concilium, an verò contra?*

Verùm quæſtio hæc poteſt multipliciter conſiderari. Primo poteſt conſiderari Concilium, *vt eſt ſeparatum à Papa, & reſpicit Papam, vt perſona priuata eſt*, quod poteſt euenire, quando dubitatur, *an Electio Papæ fuerit legitima? vel Papa ſit lapſus in Hæreſin, & ob id deponendus?* & in tali caſu Concilium non poteſt dici ſupra Papam, niſi tan-

tum materialiter, vnde quæſtio in hoc non habet locum. Secundo poteſt conſiderari Concilium, *vt eſt ſimul cum Papâ, ſiue abſolutum, & confirmatum ab illo, quoad res Fidei:* & neque in hoc locum habet quæſtio, quamuis Papa, ſicut quilibet Chriſtianus teneatur credere illa Fidei Dogmata, quæ à legitimo Cõcilio Generali confirmato à Romano Pontifice, determinata ſunt, & ad credendum propoſita. Tertio poteſt quæri, *an Concilium Pontificis leges reſtringere, vel irritas facere, & alias condere poſſit?* & circa hoc certum eſt, quod poſſit facere non ſimpliciter, ſed quatenus confirmationem accipit à Pontifice, ſine qua confirmatione Concilij Decreta nihil valent. Sed quæſtio noſtra eſt, *an Concilium poſſit aliquid ſupra Papam verum, & indubitatum, & ſimpliciter ſtatuere aliquid inuito illo?* vel, *an Papa ità ſit ſupra Concilium, vt ſe habeat ad illud, ſicut Superior ad inferiorem?*

His annotatis dico, *veram & Catholicam ſententiam eſſe, Romanum Pontificem eſſe ſimpliciter ſupra Concilium.* Probatur primo ex Matthæi 18., & Ioannis vlt. in priori enim loco dicit Chriſtus Petro, *tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, in altero idem, Chriſtus dicit Petro, *Paſce oues meas*, & hoc non ſemel, ſed bis & tertio. Si ergo Petrus eſt fundamentum Eccleſiæ habens

bens poteſtatem ligandi & ſoluendi, & eſt Paſtor ouium Chriſti: cum hæc Petri dignitas, & authoritas in eius Succeſſores tranſierit, qui ſunt Romani Pontifices: oues vero Chriſti ſint omnes Chriſtiani: remanet, quod Romanus Pontifex ſit ſupra Conciliũ, ſicut Petrus eſt ſupra oues Chriſti. Rationem hanc vide doctè examinatam apud Caietanum in opuſculis, & Bellarminum in controuerſijs.

Secundo probatur ex Concilijs, præcipue Epheſino ſub Cæleſtino, & Chalcedonenſi ſub Leone, in quibus hoc apertiſſimè declaratur, ſicut in eorum actis apparet. Tertio probatur, quia quæſtio hæc nunquam antiquitus audita fuit, ſed ſemper in antiquis Concilijs debitum Romano Pontifici obſequium præſtitum fuit. Hic autem error, & dubium ortum habuit Anno Domini 1410. Cum enim eo tempore in Cathedrâ Pontificiâ duo eſſent ſedentes, vnus Romæ, & alter in Gallia; & vnuſquiſque aliquas Chriſtiani orbis Nationes ſibi obedientes haberet, inſtitutum eſt Concilium Piſanum ad tollendum hoc Schiſma. Sed, quia in eo Concilio Patres illi imaturè properârunt, Schiſma non eſt ſublatum, ſed auctum, Tertius enim Pontifex apparuit, illis duobus adhuc permanentibus.

Tandem

Tandem Conſtantienſe Concilium à Ioanne 23. conuocatum eſt, in quo per electionem Martini V. ex Columnenſi familia, extinctum eſt Schiſma. Verum, quia in actis Piſani, & Conſtantienſis Conciliorum facta fuerunt Decreta aduersùs iſtos Pontifices, Cenſuris puniendo, & deponendo illos, inualuit apud multos error, quod Concilium ſit ſupra Papā. Sed reuera non recte ratiocinati ſunt, quià etiamſi Concilium illa peragere potuit ad tollendum Schiſma: attamen non ex hoc ſequitur, quod ſimpliciter ſit ſupra Papam, quando Papa eſt indubitatus, & certus.

Quía vt ſupra diximus, quando plures ſunt ſedentes in Cathedrâ Pontificiâ: poteſt Concilium iudicare de illis, tunc enim Concilium non iudicat de Pontifice, ſed de eius electione, & validitate circa eam. Vnde Baſileenſe Concilium, quod poſt Conſtantienſe celebratum fuit, quia auſum eſt Decreta ferre aduersùs Eugenium quartum, verum & indubitatum Pontificem: ex Concilio factum eſt Conciliabulum; atq; hæc pro quæſtione dictâ, ſufficiant.

Ex proximè dictis obſeruandus eſt alius eorum error, qui à Pontifice ad futurum Cōcilium appellare audent: cum potius à Concilio ad Pontificem Flauianus Conſtantino-

polita-

politanus Epiſcopus, antiquitus appellauerit. Hic enim error inualuit poſt Conſtantienſe Concilium; nam Seſſione 22. Concilij illius determinatum eſt, *vt abſoluto illo poſt quinquennium aliud celebretur, quo etiam abſoluto inſtituatur aliud poſt ſeptennium, deinde de decimo, in decimum.* Quare in Eccleſiâ ferè ſemper continuatum Concilium eſſet habendum. Vnde, cum ex ante actis aduersùs Pontifices in Piſano, & Conſtantienſi, licet falsò, ortus fuerit error, *quod Concilium ſit ſupra Pontificem*: alius etiam error ſucceſſit, *de Appellatione à Papa ad Concilium*, occaſione oblatâ Concilij vel præſentis, vel inter paucos annos futuri.

Verum Conſtantienſe Concilium legem hanc non inſtituit ad finem tam iniuſtum, & impium, ſed vt occaſione continuatorum Conciliorum Schiſmata deinceps non oriantur, aut iam orta facile extinguantur; ſed inimicus homo ſuper bonum Semen ſuperſeminauit Zizania. Verum, cum ex Baſileenſi paucos poſt Annos eâ de causâ celebrato, inualuerit inobedientis Concilij error aduersùs Romanum Pontificem, illa Conſtantienſis Concilij lex omnino euanuit. *Matth. 13. e.*

ARTI-

ARTICVLVS QVARTVS.

An Concilium Generale Vniuerſalem Eccleſiam repræſentet?

ADuerſus ea, quæ in præcedenti Articulo probata ſunt, nonnulla apud Bellarminum inueniuntur argumenta, quæ cum ſint leuia, neque noſtri inſtituti, apponenda non duximus.

Solum in examine huius propoſitæ quæſtionis, *an Generale Concilium, Catholicam ſiue Vniuerſalem Eccleſiam repræſentet?* reſpondebitur difficultati ex prædicto Concilio Conſtantienſi, quam Hiſtoricus non ſemel inſinuat. Narrat enim Hiſtoricus in Concilio Tridentino præcipue ſub Paulo III., & Pio IV. nonnullos ex Patribus voluiſſe, vt in Decretis apponeretur inſcriptio ſignificans, quod *Tridentina Synodus repræſentet Vniuerſalem Eccleſiam*, quæ inſcriptio in Conſtantienſi, & Baſileenſi Concilio appoſita iam fuerat.

Huic petitioni obſtiterunt Legati, ac reliqui omnes Patres, maxime (vt inquit Hiſtoricus) dubitantes, ne hoc conceſſo adderentur alia verba, quæ in ipſa Conſtantienſi inſcriptione non leguntur, Romani Pontificis authoritati aduerſantia. Quoniã vero & ipſe Hiſtoricus, & alij hanc Conſtantienſem inſcriptio-

ſcriptionem opponunt ad inſinuandum, *quod Concilium ſit ſupra Pontificem*, illius inſcriptionis ſenſum, & vim neceſſe eſt explicare ad refellendam aduerſariorum calumniam. Conſtantienſis inſcriptio Seſſione quarta hæc fuit: *SacroSancta Conſtantienſis Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, Generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantẽ repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habens: cui quilibet cuiuſcunque ſtatus, vel dignitatis, etiam Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, & extinctionem Schiſmatis, & Reformationem.*

Ex his ita argumentantur aduerſarij: aut hoc Concilium fuit legitimum, aut non; ſi primum, ergo Concilium eſt ſupra Papam; ſi ſecundum, ergo eius acta nulla ſunt; & conſequenter depoſitio Pontificum ad extinctionẽ Schiſmatis, atq; electio Martini V. quod nemo aſſerit. Si verè Conſtantienſis Synodus Catholicam Eccleſiam repræſentauit, & iure talem inſcriptionem appoſuit: cur hoc non debuit facere Tridentina Synodus?

Reſpondeo, *omne Concilium Generale, vt in ſe eſt, Catholicam ſeu Vniuerſalem Eccleſiam repræſentare, ſed ſuo modo.* Nam ſicut Eccleſia Catholica conſtat ex capite, qui eſt Romanus Pontifex, & ex membris, qui ſunt reli-

qui

qui Chriſti fideles: ita Concilium, vt Catholicam Eccleſiam repræſentet, debet conſtare ex capite, qui eſt Romanus Pontifex, & mẽbris, qui ſunt reliqui Epiſcopi. Accidit autem, quod quandoque Eccleſia eſt ſine capite, vt ſede vacante, vel ſine certo, & indubitato capite, vt tẽpore Schiſmatis, quod maxime fuit ſub Concilio Conſtantienſi. Tunc Concilium eo tempore exiſtens poteſt Catholicam Eccleſiam repræſentare, ſed ſine capite, vt ipſa Eccleſia tum erat, vnde Conſtantienſe Concilium illo tempore vocatum fuit Acæphalum.

Repræſentauit ergo Conſtantienſe Concilium Eccleſiam Catholicam, ſed ſine capite; fuit autem pro capite reſtituendo conuocatum. Quare quoad extinctionem Schiſmatis potuit ex ſeipſo quæcunque facere Decreta; quod verò ad res Fidei, vel Reformationis, potuit quidem ferre Decreta, quæ tamen vim non haberent, niſi poſt confirmationem Romani Pontificis: vt de facto apparet ex ipſius Concilij actis, poſt electionem Martini quinti, qui confirmauit Synodalia Decreta de Fide. Quare ex tali inſcriptione Conſtantienſi non infertur, quod *Concilium ſimpliciter ſit ſupra Papam*, ſed quod Concilium Conſtantienſe eo tempore, quo tali inſcriptione vſum eſt, fuerit tantum ſupra il-

los

los Pontifices dubios,atque incertos eo tempore. Atque hic poteſt eſſe verus,& Germanus ſenſus talis inſcriptionis ad literam.

Ex dictis infertur, quare Legati, & reliqui Patres in Tridentino Concilio noluerint in Decretis ſimili inſcriptione vti, quod ſcilicet *Concilium Catholicam Eccleſiam repræſentet*. Primo, quia hæc inſcriptio ſatis recens erat, & tantum ſeculo elapſo in vſu poſita. Secundo, quia Conſtantienſis Synodus tum primum hac inſcriptione vſa eſt, quando cepit iudicare aduersùs Ioannem 23. Pontificem, & non ante Seſſionem quartam. Vt autem oſtenderet, quo iure hoc faceret,cauſam appoſuit: *eo, quod Catholicam Eccleſiam repræſentaret*. Hoc vero neceſſe non fuit in Tridentino.

Hinc patet, quod tum Conſtantienſe,tum Baſileenſe Concilium talem inſcriptionem appoſuerunt: Conſtantienſe quidem legitimè & iuſtè, de incertis & dubijs Pontificibus iudicare incipiens: Baſileenſe vero audens ſe extollere ſupra verum, & indubitatum Pontificem,vnde ex Concilio in Conciliabulum abijt. Tridentinum vero Concilium, quia inſtitutum fuit aduersùs Lutherum,& alios illius temporis Hæreticos,quorum ſumma intentio, & conatus ſemper fuit, vt Romani Pontificis authoritatem infrin-

gerent: ſtatuit reiecta Conſtantienſi inſcriptione, quæ nullius vſus eo tempore eſſe poterat, apponere ſingulis Seſſionibus Apoſtolicæ Sedis authoritatē, vt ſupra diximus.

Adde, quod ſicut Conſtantienſis inſcriptio vera, & legitima fuit, vt patet ex ſupra dictis, quia tunc Eccleſia erat ſine vero ac legitimo capite, ad quod ſtatuendum Conſtantienſis Synodus inſtituta fuerat: ita inſcriptio Baſileenſis fuit falſa, & illegitima, quia tunc Eccleſia erat ſub vero, & indubitato capite, vnde nec Concilium Tridentinum poterat hâc inſcriptione vti, cum vere eſſet ſub certo, & indubitato Pontifice. Quapropter & in ipsâ Hiſtoriâ narratur, Legatos ſcripſiſſe ad Pontificem, *Si Patres voluiſſent, vt in Decretis poneretur inſcriptio, quod Concilium illud Eccleſiam Catholicam repræſentet:* apponendum etiam fuiſſe: *repræſentare illam cum ſuo capite Romano Pontifice.* Quo modo talis inſcriptio poterat eſſe legitima, & vera, non tamen neceſſaria, vt patet ex ſupra dictis.

ARTICVLVS QVINTVS.

De Modo Procedendi in Concilio.

AGgreſſurus Hiſtoricus narrationem Synodalium actionum in Ciuitate Tridentinâ, vt vndequaque Romani Pontificis, & Triden-

Tridentini Concilij imminuat authoritatem, incipiens ab Apoſtolorum temporibus congregat ea, quæ in celebrandis Concilijs ab hoc Tridentino videntur longe diuerſa. Hæc autem ſint vera, vel falſa, ità tamen ab illo tractantur, vt etiam ſi bona ſint, ſemper tamen tendant in malum. Nos breuiter omnia obſeruabimus, vera diſtinguemus à falſis, atque illius arma contra ſuum conuertemus Auctorem; cuius dicta colligemus in Capita, atque ſingulis propriam adhibebimus Cenſuram.

Primo dubitat Hiſtoricus, *an Concilium Hieroſolymitanum, quod in Apoſtolorum actis habetur, verum Concilium fuerit?* & rationem dubitandi adiungit: *Quia Epiſtola decretalis illa, quæ pro rerum determinatione ad fratres miſſa fuiſſe narratur, ſcripta tantum fuit ab Apoſtolis & Senioribus, & fratribus, qui eo tempore Hieroſolymis erant.* Aſſerit tamen, *illud verum fuiſſe Concilium, quia acceſſerunt ad illud etiam Paulus & Barnabas, quorum exemplum ſecuti ſunt Epiſcopi ad Concilium accedentes: non vt ſinguli ſingularum Eccleſiarum Rectores ſunt, ſed vt in vna Eccleſia ſunt: quæ Eccleſia vna eſt, & Epiſcopatus vnus iuxta Cypriani ſententiam.* *In actis Apoſtolorum cap. 15.*

Secundo addit, *quod adhuc vigente charitate, Concilia fiebant pro aliquibus determinandis,*

dis, quibus nemo alius præſidebat præter Chriſtum; deinde admixto cum charitate humano affectu, Senior inter Epiſcopos, nullo habito alio reſpectu præſidebat ad Patrum actiones dirigendas. Tertio adiungit, *quod Romanis Principibus ad Fidem conuerſis, cum etiam de rebus Eccleſiaſticis dilatatâ iam Eccleſiâ, quæſtiones ſucceſſerunt, atque aucta Eccleſiaſticorum ambitione, ad ipſos Principes, eorúmque Præfectos totum negotium Conciliorum tranſiuit: illis præſentibus, ac Præſidentibus, tam Generalia, quàm alia minora Concilia ſiue Colloquia celebrari conſuetum fuerit.*

Apponit exempla *Colloquij inter Catholicos, & Domatiſtas, Epheſini, Cōſtantinopolitani, Chalcedonenſis Conciliorū, quibus Principes, vel eorū Præfectos præſediſſe* aſſerit, *& penès illos fuiſſe ius, omnia in Cōcilio regendi, iubēdi: vt hic loquatur, ille ſileat, ſiue vt hac de re agatur, de alia vero non; & quo ordine. Ius præterea illos habuiſſe, lites & diſcordias componendi in Concilio natas. Hoc idem feciſſe Conſtantinum & Theodoſium Imperatores, ſuos Legatos mittendo ad Nicænum, & Conſtantinopolitanum, vt videre eſt apud Scriptores Eccleſiaſticos.* Dicit præterea, *quod per eadem tempora fuerunt Concilia celebrata per Epiſcopos ex ſe ipſis congregatos, digniore regente actiones.*

Quarto inſinuat, *mutationem, & modum*

proce-

procedendi in Concilijs antiquis diuerſum à recentioribus, quæ diuerſitas præſertim apparet in Tridentino. Etenim antiquitus ſedentes Patres ad propoſita reſpondebant, Tabellione annotante reſponſa: & iſta dicebantur acta Concilij. Neque Seſſiones erant perfunctoriæ tantum, ad euulgandum aliquid, iam antea ſufficienter examinatum: vt in recentioribus Concilijs in vſu eſt, & in Tridentino firmatum; ſed antiquitus Seſſiones ipſæ erant diſputationes, & Colloquia. Nunc Decreta Concilij pro actis habentur, & hæc tantum Typis mandantur. Quinto, *antiquitus diſſidia, & contentiones in Concilijs operiebantur charitate: omnia ſine æmulatione fiebant, optantibus omnibus potius obedire, quàm leges præſcribere.* Sexto, *diuiſo Orientali ab Occidentali Imperio, remanſit in Concilijs aliquod antiquitatis veſtigium, tum in Gallicis & Germanicis ſub Carolo Magno, tum etiam in Hiſpania ſub Principibus Gothicis.*

Septimo, *excluſis Principibus à Concilijs, omne in eorum celebratione ius, Romanus Pontifex ad ſe traxit. Quare Eccleſiaſtici Principum timore ſoluti, in particularia commoda abiere; ex quo euenit, vt creſcentibus diſſidijs inductæ ſint in Concilijs Congregationes priuatæ, in quibus agitantur ea, quæ in his Congregationibus determinata, publice in Seſſionibus euulgantur. Quare, vt ſupra dictum eſt, ea, quæ nunc in pri-*

uatis Congregationibus fiunt, tunc in publicis Seſſionibus fiebant, quæ & acta Concilij erant, & hinc inde euulgata, vſque ad hæc tempora tranſierunt. His vero temporibus acta Concilij abſconduntur, & tantum Decreta apparent.

Octauo, *tandem ſeculo decimo quarto elapſo, quia in Concilijs aliquæ nationes videbantur in determinando ſuperari ab alijs, ob numerum Epiſcoporum: factum eſt, vt in determinationibus vota non per ſingulos Epiſcopos, ſed per Nationes darentur. Hoc primo in vſu poſitum fuit in Conſtantienſi Concilio, deinde in Baſileenſi. Sed hæc Norma, quæ Concilij libertati ſatis fauebat, in Tridentino Concilio ſeruata non fuit, inſtantibus licet non ſemel, multis apud Legatos.*

Hæc ſunt, quæ Hiſtoricus de formâ, & vſu Concilij in quadam ſua digreſſione narrat, magnâ quidem cum temeritate, & fallaciâ. Horum nonnulla ſunt vel falſa, vel etiam impoſſibilia; plurima vera quidem, ſed illis tamen Hiſtoricus falſam affingit interpretationem. Sed ad ſingula eius dicta reſpondeamus. Ad primum dicendum, *Hieroſolymis fuiſſe verum Concilium Generale*; quia fuit ſub Petro Apoſtolo, qui erat tum viſibile caput Eccleſiæ, qui & primam ſententiam pronuntiauit approbantibus reliquis in Concilio: vt fieri ſolet in Concilijs præſente Papâ. Cæte-

rum

rum Hiſtoricus, quod aſſerit, primo dubitari poſſe, *an illud fuerit verum Concilium? quia Epiſtola decretalis ſcripta fuit à ſolis Apoſtolis, Senioribus, & alijs Chriſti diſcipulis*, atque etiam, *quia ille dicendus potius erat recurſus quidam Gentilium ad Apoſtolos, à quibus Fidem acceperunt*, quoad hoc certum eſt fuiſſe recurſum, ex recurſu autem ortum eſſe Concilium. vt patet ex textu.

Quod verò ad Epiſtolam ſpectat, neſcio quid aliud requiratur, vt illa dicenda fuerit vera Synodalis Epiſtola, ac proinde ex vero Concilio. Neque diſſimile eſt, quod addit, *illud fuiſſe verum Concilium, quia in illo locuti ſunt Paulus & Barnabas*, quaſi ſine illis Concilium eſſe non potuerit.

In eo vero, quod adiungit *Epiſcopos, vt Apoſtolorum ſucceſſores accedere ad Concilium, non vt ſingularum Eccleſiarum rectores, ſed vt in vnà Eccleſià ſunt, iuxta illud Cypriani*, quædam ineſſe videtur fallacia. Si enim hoc aſſerit, vt innuat Epiſcopos ex ſeipſis, & non vocatos à Romano Pontifice, qui eſt caput Eccleſiæ, Concilium Generale facere poſſe, falſum dicit. Præterquam, quod formalitas illa, quæ apponitur, gratis fingitur, & ſine fundamento; & contra id, quod infra refert, *Pariſienſem Epiſcopum dixiſſe, ſe pluſquam quingentos mille, ex ſuà Eccleſià loquentes, repræſentare,*

Ad ſecundum dico, Hiſtoricum de anti-quiſſimis Concilijs temere loqui, & pro arbitratu. Sed, quicquid ſit de his, quæ aſſerit, præcipuè ad labefactandam Romani Pontificis authoritatem: certe ante Nicænum, nullum aliud fuit poſt Apoſtolos Generale Concilium, quod congregare ad Romanum Pontificem ſimpliciter ſpectat. Cæterum ante illud tenuia apparent aliorum Conciliorum veſtigia, de quibus, quæ Hiſtoricus narrat, neque ipſe ſciuit, neque ſcire vnquam potuit.

Ad tertium fallit Hiſtoricus, & repugnantia loqui videtur, *ſi enim iam antea Epiſcopi*, vt ipſe dixerat, *celebrarunt Concilia abſq; interuentu Principum ſecularium*, quo iure hoc ſibi aſſumpſerunt Principes illi, vt Concilio imperarent, cum tamen vota in Concilio ferre non poſſent? Nam, *quod ex Ethnicis facti fuerint Chriſtiani*, hoc non valet, vt ſibi aſſumant Epiſcoporum iura. Quare certum eſt, pijſſimos Principes illos ius in Concilijs præſidendi ſibi non aſſumpſiſſe; ſed tantum vt Catholicæ veritatis defenſores talem iniiſſe curam: non autem, quod ſupra Concilium ius aliquod habere vnquam poſſent. Sed velim ſcire, vnde hauſerit alia indigna, & ridicula? fingit enim *Principes illos, ſiue eorum Præfectos tanquam Ludi Magiſtros iubentes, vt*

hic

hic loquatur, ille ſileat, hoc proponatur, hoc relinquatur & ſimilia. Miror, quod Hiſtoricus tantopere pro Concilij libertate pugnet, cum tamen hæc illi tam repugnantia referat, & approbet.

Ad quartum dico, *ſi aliqua eſt ab antiquis in recentioribus Concilijs præſertim in Tridentino, quoad modum procedendi diuerſitas, hæc non eſt eſſentialis, ſed accidentalis tantum.* Et quidem Tridentinum in eſſentialibus cum antiquiſſimis omnino cōuenit; in illis enim hæç duo erant, ſcilicet conſultationes, & determinationes, ſeu diſputationes, & Decreta. Hæc duò etiam in Tridentino fuere; ſed ſi conſultationes ſeu diſputationes, & determinationes, ſeu Decreta, antiquitus vel ſimul, vel ſeparatim fiebant, parum refert ad Concilij eſſentiam: ſiue etiam hæc, vel in Congregationibus, vel in Seſſionibus, vel in aliò loco, & tempore fierent, hoç ſolum eſſet quæſtiò de nomine.

Sed vellet fortaſſe Hiſtoricus, vt ſicut antiquorum Conciliorum conſultationes, quæ acta vocantur, ſimul & Decreta circumferuntur; ita etiam hoc fieret de Tridentino, de quo tamen tantum Decrēta Typis data leguntur. Reſpondeo, antiquorum Conciliorum tantum Decreta, etiam in aliquibus libris ſeparatim ab actis circumferri, ſicut

nunc eſt in Tridentino, hæc enim tantum ſpectant ad Concilij eſſentiam. Et de Nicæno quidem nihil inuenitur, præter Decreta. Aliorum vero Conciliorum acta ideo habentur, & Typis data leguntur, quia collecta fuerunt à viris doctis & pijs, antiquitatis & Religionis ſtudio. Vnde pro variâ colligentium induſtria, vel magis, vel minus vberiora habentur, pro impreſſionum, & exemplorum diuerſitate, quod facile ex eorum collatione eſt cognoſcere; de recentioribus autem Concilijs, præſertim Tridentino non ita fuit. Cum enim acta eorum nihil ad antiquitatis cognitionem facerent, imò & Hæreticorum calumnijs anſam præberent, illa in medium afferre, & Typis dare neceſſe non fuit.

Ad ſecundum, concedatur Hiſtorico, quod in primitiua Eccleſia diſcordiæ & lites charitate operiebantur, negandum tamen non eſt diſcordias & lites in Concilijs, Tridentino maximè, ex Hęreticorum fraude eueniſſe. Ad ſextum, patet ex dictis ad tertiū & quartum; quamuis hoc loco in multis Hiſtorico indulgeatur. Ad ſeptimum, etiam ex his ſimiliter patet. Sed vellem ſcire, quo tempore Eccleſiaſtici in celebrandis Concilijs fuerint à Principum ſecularium dominatione ſoluti? Verum clare apparet, cum, ſicuti mē-titur, ita pro libidine loqui.

Ad

Ad octauum dico, in Conſtantienſi Concilio prudenter factum eſſe, vt determinationes ſiue ſuffragia ferrentur per nationes, cũ enim Concilium illud inſtitutum fuerit ad tollendum Schiſma de pluribus ſedentibus in Apoſtolicâ Sede: cúmque quilibet ex illis tribus Pontificibus, eo tempore diſtinctas Nationes ſub obedientía haberet: neceſſe fuit, vt ſicut per Nationes Schiſma ſuſtentabatur, ita per Nationes extingueretur. De Baſileenſi nihil refert: in eo enim parum boni actum eſt, & nulla eſt eius in Eccleſiâ authoritas; quare in Tridentino non bene actum fuiſſet, ſi per Nationes lata fuiſſent ſuffragia. Tridentinum enim Concilium inſtitutum fuit, non ad tollendum Schiſma, ſed ad damnandas Hæreſes. Eſt etiam obſeruare, quod in Concilio illo Conſtantienſi pro noui Pontificis electione, ad Cardinales eligentes, additi ſunt aliqui alij ex Patribus per Nationes, vt in tali electione omnibus Nationibus ſatis fieret. Quod exemplum, ſicut nunc non valet in Pontificis electione, ita nec valere poteſt in alijs Concilijs, quoad vota ferenda per Nationes.

SECTIO QVARTA.

De Tridentino Concilio in Particulari.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Concilij Tridentini præſtantiâ, eiúſque libertate.

SAtis magnum, admirabile, ac plane diuinum opus SacroSanctum Generale Tridentinum Concilium fuiſſe cognoſcitur: ſi eius cauſis, ſi rerum & temporum conditionibus, ſi denique difficultatibus inde emergentibus conſideratis, cum alijs antiquioribus Concilijs comparabitur. Etenim antiqua illo octo, quæ apud Orientales fuerunt, inter Hæreticorum turbas, plus commodi habuiſſe certum eſt. Primo, quia Epiſcopi ad Concilium conuenientes illis locis præerant, in quibus vnus ferè Imperator dominabatur, non plures Principes: neque Nationes erant Religione, animis, ſiue in Concilij celebratione diſcordes. Et Principum ſiue ſuorum Oratorum præſentia, fauere quidem Concilio, aduerſari certe non poterant.

Secundo, quia Concilia illa contra vnam, vel alteram Hæreſin fere conuocabantur, nō omnes Sacræ Scripturæ fontes, non omnia Theo-

Theologiæ Arcana aperienda erant: & quod ſummum atque vnicum Vniuerſalis Eccleſiæ commodum erat, non ſolum nihil in illis Concilijs aduersùs Apoſtolicæ Sedis authoritatem cogitabatur: verùm etiam eius Mandata atque Decreta à Patribus, tanquam diuina oracula accipiebantur. Reliqua verò, Concilia Generalia in Occidente celebrata, interueniente Romano Pontifice, optimum progreſſum, atque exitum habuiſſe mirum non eſt.

Concilium vero Tridentinum his temporibus celebratum fuit, in quibus Principes multi, & inter ſe diſſidentes erant, Hæreſis non vna, ſed innumeræ damnandæ fuerunt, abſente Romano Pontifice, collatrantibus hinc inde Hæreticorum turbis: & præcipuè Romani Pontificis, & Apoſtolicæ Sedis authoritatem euertere cupientibus. Attamen tale fuit, & tam efficax diuinæ miſericordiæ auxilium & Spiritus Sancti afflatus, & gratia, vt omnibus difficultatibus & impedimentis nihil obſtantibus, Apoſtolicæ Sedis authoritas magis, ac magis firma permanſerit; Hæreſes fere innumeræ damnatæ, & Eccleſiaſticus Ordo, & Chriſtiani mores in meliorem frugem redacti ſint.

At huius temporis Hæretici, qui huius SacroSancti Concilij virtutem, ac Gloriam infrin-

infringere, ac amoliri perperam ſatagunt; inter alia præcipuè, quibus inuehuntur aduersùs illud, de illius libertate contendunt: aſſerentes, quod cum Patres in Concilio iudices eſſe debeant, iudicis autem ſententiam non cooactã, ſed liberã eſſe neceſſe ſit: conſequens eſt, quod ſi Patres in Concilio liberi non fuerunt, eorum ſententiæ, & Decreta ſint inualida, ac nulla. Et quidem Tridentinum Concilium hoc liberum non fuiſſe, conati ſunt probare, & Hæretici ſimul, atque Hiſtoricus iſte: ſed diuerſimodè, quorum Sophiſmata in hoc volumine continentur.

Hæretici pro Concilij libertate adſtruendâ, ſed ſecundum ſua placita petebant Primo, *vt Romanus Pontifex in Concilio neque per ſe, neque per ſuos Legatos præſideret, imo Concilio ſe ſubmitteret, & Epiſcopos, quo ad obedientiam illi debitã abſolueret*: & vt ipſi Hæretici, quãuis non Epiſcopi, ſed *Laici, ſententiam in Concilio ferrent, tanquam in cauſa communi; præterea vt in interiori Germaniâ Concilium fieret.* Secundo alij ex Hæreticis volebant, *cum lis & diſcordia ſit de Religione inter Pontificem, eiúſque Sectatores, & ipſos Proteſtantes, cúmq; non deceret, vt quiſque propriæ opinionis ſit iudex*: volebant inquam, *vt Concilium formaretur hoc modo, vt ſcilicet ex vna parte eſſet Pontifex cum ſuis, & ex alterâ ipſi Proteſtantes, am-*

bóque

biſque diſputarent: iudices verò eſſent Cæſar, & alij Principes, qui iuxta Sacras literas ſententiam ferrent. Cum ergo neutrum ex his in Tridentino fuerit factum, Concilium certe ſecundum ipſos Hæreticos libertate caruit.

Hiſtoricus verò, quia erubeſcit hæc ex propriâ ſententiâ aſſerere, proponit tantum ante oculos, *quod in Concilio ad nutum Pontificis omnia fierent; quod Spiritus Sanctus ad Patres in Concilio per Tabellarium mitteretur ex vrbe; quod in Concilio pro vera rerum determinatione impedienda, ſcurrilitates inter Epiſcopos interuenirent; quod nihil ageretur, aut proponeretur præter Legatorum mentem, & ſimilia.* Ex quibus non ſemel ipſe aſſerit, Concilium Tridentinum non fuiſſe liberum. Hæc ſunt, quæ aduersùs Tridentini Concilij libertatem in Hiſtoriâ proponuntur. Et quidem, quod Concilium liberum eſſe debeat, ex ſe patet. Cum enim Epiſcopi in Concilio iudices ſint, liberam certe voluntatem habere debent in exercendo iudicio. Nam ſi ex alterius placitis ſententiam ferant, iam non iudices, ſed præcones habendi erunt.

Sed notandum primo eſt, quod iudicium hoc eſt de numero criminalium, in quo Princeps eſt Pontifex; crimen eſt Hæreſis; Hæretici rei; iudices Epiſcopi in Concilio. Notandum ſecundo, quod in determinandis re-

bus

bus de Fide,hæc eſt differentia inter Pontificem, & Concilium; quia Pontifex extra Concilium poteſt hoc facere, vt eſt communis Theologorum ſententia,ipſe enim eſt Paſtor Eccleſiæ, atque illi in Apoſtolo Petro *paſcere oues Chriſti veritatis verbo*,commiſſum eſt: Concilium vero poteſt res Fidei determinare, ſed eius determinatio nihil valet, niſi à Romano Pontifice confirmetur: etenim dubium non eſt Concilium ſine illo errare poſſe, ſicut certũ eſt apud omnes. Quare vt per Concilium ſtatuantur res Fidei, Concilium & Pontifex ſimul iuncti eſſe debent.

His poſitis, quod ad Hæreticos ſpectat: certum eſt Concilium liberum, quod poſtulabant Hæretici,non eſſe verum Concilium, ſed exemptionem à Pontificis authoritate: imo & audaciam, & elationem ſupra Pontificem, quem volebant Concilio ſubijci: ipſis Concilio leges ponentibus. At, ſicut rei ad iudicium vocati hæc à Principe, & Iudicibus poſtulare nec poſſunt, nec debent: ità nec ipſi Hæretici à Pontifice & Concilio hanc inſuetam, & impiam in Concilio libertatem: non Arius, non Neſtorius, non Eutiches in Cõcilijs antiquis talẽ poſtulauerũt. At huius temporis Hæretici omniũ Hæreticorum peſſimi,hanc in Concilio libertatem poſtulabant; vt ſub illis tam falſis, atque im-

pijs

pijs Concilij formis eorum falſitas, atque impietas firmarentur. Et quidem, ſi hæc Hæreticorum aduersùs Pontificem, & Epiſcopos iudicantes valeret exceptio: etiam quilibet latro, ac parricida poſſet ſuſpectum vocare Principem, illos inſequentem: & leges & iudices. Iſtos enim neceſſe eſt contra illos determinare.

Dicent, *per Leonem Pontificem eorum Dogmata iam damnata fuiſſe; nihil ergo amplius ad Pontificem ſpectabat, vt in Concilio de eorum Dogmatibus iudicaret, qui iam in eos ſententiam tulerat.* At in concedendo Concilio elucet in eos Pontificis pietas, ac benignitas, qui poſt eorum damnationem illis reuiſionem præbuit per Concilium: in quo & ipſi poſſent audiri, & quænam damnanda, ſeu damnata fuerint clarius, & diſtinctius explicari. Cæterum, ſi in interiori Germaniâ, & iuxta alia Hæreticorum placita Concilium celebratum fuiſſet: certe & in Epiſcopis euanuiſſet decidendi libertas, & ex Concilio Cõciliabulum euaſiſſet; atque hæc de Hæreticis.

Quo ad Hiſtoricum vero, iam patet ex dictis in ſecundo notando, atque etiam ex ipsâ Hiſtoriâ, vbi ad literas Ferdinandi Cæſaris de hoc Pontificem admonentis, reſpondit Pontifex: *Concilium Tridentinum normam ſe-*

qui debere aliorum antiquorum Conciliorum, quæ in determinando reſponſa acceperunt à Romano Pontifice. Nihil ergo contra Concilij libertatem fit, ſi Patres in Concilio perſæpe in determinando Pontificis mentem ſequuntur, atque eius exſpectant Mandata. Quod *omnia in Concilio fierent ſub Legatorum regimine*, hoc quidem præſidere eſt. At, ſi Hiſtoricus id dicat ab Imperatoribus, & eorum Præfectis in Concilio factum, qui quidem, nunquam vere præſidebant, neque vllam poteſtatem in Concilio poterant habere: cur negat hoc legitime factum in Tridentino ab Apoſtolicis Legatis, qui in Concilijs præſidendi omne ius habuerunt, & habent?

De ſcurrilitatibus illis nihil dubitandum, ex impio Hiſtorici animo illud oriri mendacium. Cæterum de libertate Patrum in decernendo etiam inde apparet veritas, in ipſâ Hiſtoriâ: quod tum in Congregationibus, tum in Seſſionibus ipſis aliquando ſententias referuntur tuliſſe contrarias, atque diuerſas, etiam ad verbum *Placet*?

Vide Sect. 2 Art. 1. de Mendacijs.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Concilij Tridentini Translatione in Ciuitatem Bononiam.

IN calce libri ſecundi huius Hiſtoriæ, agitur

tur de Concilij translatione in Ciuitatem Bononiam. Cauſa huius translationis fuit (vt apparet in Decretis Concilij Seſſione octaua) ob contagij morbum. Sed Hiſtoricus aliam cauſam aſſignat, referens: *quod Epiſcopi Hiſpani Duce Cardinale Paceco, grauiſſima nonnulla Reformationis Capita ſatis audacter propoſuiſſent Legatis*, qui hàc de re *conſulentes Pontificem, conuenient circa illa Capita acceperunt reſponſum. At Pontifex perpendens illorum Epiſcoporum audaciam, & metuens, ne ex his ad maiora tranſirent, vnde maius fortaſſe malum denuo ſurgeret in Eccleſiâ: ſtatuit Concilium transferre Bononiam, quæ eſt Italiæ Ciuitas ſub Eccleſiaſtica Iuriſdictione, in qua Epiſcopi, quicunque vltra quam decens erat, tranſire timerent. Miſſus eſt igitur occultè Tridentum quidam Aulicus Cardinalis à Monte, primi Legati. Hic, vt in Mandatis habebat, ſtatim Septima Seſſione abſolutâ, coram Legatis comparuit, & exhibitis ſuæ Legationis literis, ore tenus dixit: Pontificem velle, vt ſtatim quacunque conſultatione poſthabitâ Concilium Bononiam transferendum curent. Cauſa ſi nulla ſit, aliquam ſibi fingant:* Si aliqua ſubſit, *incunctanter arripiant. Hoc audito Legati, vt Pontifici obtemperarent, quâdam imminentis Contagij occaſione ſunt vſi, & factâ Medicorum conſultatione, qui facile Legatorum votis fauerunt,*

tandem ventum eſt ad Tranſlationis Decretum, vt ſupra.

Verum hoc Hiſtorici figmentum fuiſſe, ex 3. Capite cognoſci poteſt. Primo cognoſcitur ex ipſamet narratione, etenim ſi hæc Aulici miſſio ad Legatos tam occulta fuit, ac proinde neque in actis poſita, neque ab aliquo ſcripta, & in tempore, quo ipſe Hiſtoricus nec fortaſſe natus: debuiſſet ipſius Hiſtoriæ Scriptor oſtendere, vnde hoc ſciuerit, imò Antonius Milledomus, qui fuit Secretarius Veneti Oratoris à Ponte, ad Concilium ſub Pio IV., & hanc Hiſtoriam ſcripſit, vt ſupra diximus, nihil de hâc Aulici miſſione meminit; ſed ingenuè & ſimpliciter fatetur, Translationem hanc ob contagium determinatam fuiſſe.

Secundo, quia Translatio hæc facta fuit debito proceſſu inito in ipſo Concilio, ex conſultatione Medicorum, præcipuè Hieronymi Fracaſtorij Medici celeberrimi: mortuo vno ex Epiſcopis, aliiſque, quam pluribus contagij metu diſcedentibus ante Translationis Decretum; & ob idem contagium Veronâ Ciuitate commercium Tridentinis negante, vt in ipſa Hiſtoria legitur. Tertio, quia argumenta, quæ pro ſuo figmento adducit Hiſtoricus, leuia ſunt, & nullius momenti.

Primo

Primo admiratur Hiſtoricus *Translationis velocitatem abſque vllâ conſultatione cum Romano Pontifice, cum tamen etiam in minimis Legati Pontificem conſulere conſueuerint*. Reſpondetur conſultatione opus non fuiſſe, cum Legati per Bullam hanc facultatem haberēt, & periculum eſſet in morâ. Secundo admiratur, *quomodo hæc facta fuerint inconſulto Magiſtratu Bononienſi; non enim potuit, nec debuit tam magna Prælatorum aliorúmque multitudo, tam repente in illam Ciuitatem induci; omnia ergo aliquo tempore antea erant præſcita.* Reſpondetur hoc temere dici. Bononia Ciuitas eſt ſatis ampla, ad aduenas accipiendas aptiſſima, Eccleſiaſticæ Iuriſdictioni ſubdita; poterant Legati, cum de Tranſlatione conſulerent, commodè de omnibus admonere Cardinalem Legatum, qui Bononiæ præſidet.

Tertio inuehitur Hiſtoricus aduersùs Bullam de Tranſlatione, & quamuis negare non poſſit, illam biennio ante editam: Primò dubium mouet in eo, quod dicitur in Bullâ, *quod duo ex Legatis abſente tertio, poſſent Translationem decernere: quod vere euenit, etenim Translationis tempore abſens erat Reginaldus Polus tertius Legatus. Quare aut aſſerendum eſt Pontificem Prophetiæ ſpiritum habuiſſe, aut Bullam ipſo Translationis tempore factam:* Se-

men de facto determinata fuit per Conciliũ, in quo Patres libere decreuerunt Translationem. Præterea aduertendum eſt, Patres in Concilio tantum liberos eſſe in votis ferendis, & hæc eſt propria, & ſimplex Concilij libertas. At circa locum Concilij, & ſimilia nihil ad Patres; hoc enim ad Pontificem ſimpliciter ſpectat.

SECTIO QVINTA.

In qua reſpondetur Calumnijs aduersùs Catholicam Veritatem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Diluuntur Argumenta aduersùs duas Pontificum Bullas.

HIſtoricus contra Catholicam Fidem lupinis artibus vtens, ea, quæ ex propriâ libidine ſcribit aduersùs Pontificum Bullas, & Concilij Decreta, refert tanquam ex aliorum dictis. Nos hoc loco eius Blaſphemijs in vnum collectis, ſingillatim occurremus. In primo huius Hiſtoriæ libro, mentio fit de Bullâ Leonis Pontificis aduersùs Lutherum, contra quem hæc addit Hiſtoricus.

Primo, *Pontifex in damnandis Lutheri propoſitionibus non eſt vſus verbis Sacræ Scripturæ.* Secundo, *quod ea Bulla conſtat verborum for-*

mulis longis atque confuſis. Tertio, *Pontifex, in Bulla aſſerit Lutheri propoſitiones alias Hæreticas, alias falſas, alias ſcandaloſas. At debebat diſtinguere, quænam ſint Hæreticæ, quænam falſæ.* Quarto, *Pontifex affirmat inter Lutheri aſſertiones inueniri nonnullos ex Græcorum erroribus, quod non videtur eſſe verum.* Quinto, *quod harum aſſertionum damnatio facta fuit à quibuſdam Aulicis imperitis, & ad res tanti ponderis non bene aptis.*

Ad primum dico, has eſſe meras calumnias, & mendacia Hæreticorum, qui Sacræ Scripturæ dictis repugnando, de Sacrâ Scripturâ gloriantur. Pro damnandis Lutheri propoſitionibus in ea Bulla diſputandum non erat, quare ſufficiens fuit illas in ſuis terminis referre, ac pro damnatis habendas ſignificare. Ad ſecundum, etiam patet eſſe calumnias, & quia Grammaticales ſunt, omnino ſpernendas, quod ſatis ex Bullæ ipſius lectione apparet.

Ad tertium, Pontificem prudenter propoſitiones Lutheri promiſcue fidelibus fugiendas decreuiſſe, eo quod nonnullæ eſſent euidenter Hæreticæ, & in alijs Concilijs damnatæ. Aliæ vero diuerſimmode trahentes ad Hæreſin. Cæterum non pertinet ad virum Catholicum, ſed eſt petulans Hæreticorum præſumptio, imponere leges Pontifici, vt di-

vt diſtinguat, & qualificet propoſitiones illas. Etenim, etiam ſi aliqua propoſitio non eſſet damnata, vt Hæretica, poteſt tamen Pontifex pro bono Eccleſiæ imponere leges, vt aliqua propoſitio expellatur à Catholicorum auribus: vel quia fortaſſis Hæreſis eſt, & ſuo tempore declaranda, vel ad Hæreſin trahere poteſt, ita Bellarminus de ſummo Pontifice libro 4. capite 2.

Ad quartum dico, Lutherum Græcorum errores ſecutum fuiſſe, cum ſcripſit contra Romani Pontificis authoritatem, & contra Doctrinam de purgatorio. Ad quintum dico, quod in hoc ſibi contradicit Hiſtoricus, ſcripſerat enim, quod *Pontifex pro damnandis Lutheri erroribus inſtituit Congregationem ex Cardinalibus, Epiſcopis, Theologis, & Canoniſtis, qui ſumma diligentia, ac Iuris ordine ſeruato damnauerunt aſſertiones illas.* Quare Iudices iſti ſimpliciter Aulici indocti, vt poſtea Hiſtoricus aſſerit, non fuerunt. Certè in Romanâ Curiâ, qui ſunt Aulici, & ad hæc deputantur, longe ſapientiores ſunt iſtis, qui Romani Pontificis acta in calumniam vocare audent.

Adſunt & aliæ calumniæ aduerſus Bullam, quam Paulus III. dedit Germanis, aliquas illis gratias, & abſolutiones concedendo, vt legitur libro 3. iſtius Hiſtoriæ. Ca-

lumnias vero iſtas breuiter adiungimus, atque illis reſpondebimus. Primo dicitur, *in Bullâ Pontificem, & Concilium præſtò fore, ne Catholicâ Fides labatur, quaſi in Pontifice, & paucis Epiſcopis Eccleſia tota conſiſtat.* Secundo dicitur in Bullâ, *quod per abſolutionem, quæ in ipſa continetur, Regibus, & Principibus honor reſtituatur, quod videtur ſuperuacaneum.* Tertio concedebatur Calicis vſus his, *qui crederent Eccleſiam non erraſſe communicando ſub vnâ ſpecie tantum; hoc tamen prohibebatur Laicis; vnde in hoc eſt contradictio.* Quarto Ridiculum videbatur, *quod regularibus concedatur Apoſtatis, vt poſſint viuere extra Religionem, geſtando ſub ſeculari veſte Religionis habitum.*

Ad primum reſpondeo, hæc eſſe Hæreticorum verba, & blaſphemias. Si Eccleſia non conſtat ex Papâ, & Concilio, conſtabit forcaſſe ex Luthero & Caluino? at quod Papa & Concilium Catholicam Eccleſiam repræſentent, iam viſum eſt ſupra. Ad ſecundum dico, peccata Principum, ſicut non communia ſunt ob ſcandalum illatum populis, ita non communi regula indigent; vnde congruum fuit, vt de eorum abſolutione ſpecialis mentio fieret, & illis honor in Eccleſia reſtitueretur, nã per Hæreſin fieri ſolent infames. Ad tertium dico, nullam eſſe contra-

dictio-

dictionem, Calicis enim vſus conceditur Eccleſiaſticis omnibus, & Presbyteris celebrantibus, non autem Laicis. Ad quartum dico, ex hoc colligi Sanctæ Sedis Apoſtolicæ benignitatem: cæterum quantum valeat, & quid iuuet conceſſio hęc in calamitoſis temporibus, homines docti ac pij, optime callent.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Pro Seſſione quinta, de Scripturis Canonicis.

HIſtoricus ad præcipua Concilij Decreta, præſertim, quæ ad Fidem ſpectant, in ſingulari Seſſione opponit quamplurima argumenta, quæ aſſerit *à Germanis inuenta*; ſed graue peccatũ eſt, própria crimina alijs, fortaſſe innocentibus tribuere. Igitùr aduersùs Seſſionem quartam, in qua definitur *de Scripturis Canonicis*, hæc afferuntur ab Hiſtorico. Primo, *ſeries librorum Canonicorum, in quâ conſiſtit baſis & fundamentum Chriſtianæ Fidei, non debuit determinari à tã paucis Patribus, videlicet à* 48. *Epiſcopis, & quinque Cardinalibus, qui tunc tantum Concilio aderant.* Secundo, *iſti Epiſcopi fuerunt Præſules paruarũ Ciuitatum, ſeu oppidorum, Aulici, nec Theologi, ſed Canoniſtæ.* Tertio, *Decretum factum fuit abſente Germanicâ Natione.* Quarto, *circa tra-*

ea traditiones debuiſſet determinari, quænam traditiones ſint veræ, quænam falſæ?

Ad primum reſpondetur, quod pro validitate Decreti ſufficit, Concilium fuiſſe à Romano Pontifice indictum, cum ipſe ſit Eccleſiæ caput; paruus numerus Prælatorum nihil obſtat. Cæterum conſiderare libet Cōcilium hoc, non celebratum fuiſſe in abſcondito, ſed multis antea annis indictum; Hæreticorum artificijs, ac fraude impeditum; Patres per multum tempus, ex omnibus Chriſtiani orbis partibus exſpectatos. Neque decet, & conuenit Epiſcopis aut nolentibus, aut non valentibus adire, impediri Conciliū.

Ad ſecundum, dico primo, per hoc argumentum ſibi contradicere Hiſtoricum; dixerat enim prius, *quod Epiſcopi non accedant ad Concilium, vt ſingularum Eccleſiarum Rectores, ſed vt ſunt in vnâ Eccleſiâ, iuxta illud Cypriani, Epiſcopatus vnus eſt.* Dico ſecundo, Ciuitatum amplitudine non perfici Epiſcoporum ius, neque Concilij authoritatem ſecundum ſe, nec augeri, vel minui, vt ſupra diximus. Sed mentitur Hiſtoricus dicendo, *Patres ipſos non fuiſſe Theologos*, cum enim per ſingulas Seſſiones conciones in eis habuerint, certe aliqui ex eis Theologi erant. Aderant & inter Patres Abbates, & Ordinum Generales, qui abſque dubitatione Theologi e-

gi erant. Ad id, quod addit, *fuiſſe Aulicos*, reſpondeo, quod fuerunt Aulici, ſed Romani Pontificis: cuius Aulici longe ſapientiores ſunt iſtis recentioribus Phariſæis dilatantibus Philacteria ſua, & magnificantibus fimbrias.

Ad tertium dicendum, vt ſupra, *Germanica Natio fuit per annos multos exſpectata ad Concilium*, neque alicuius Nationis defectus poteſt impedire Generale Concilium, vide ſupra, Sect. 3. art. 4. Ad quartum dico, in Concilio tantum opus fuiſſe damnare propoſitiones Hæreticas eo modo, quo referuntur. Cum ergo Hæretici negent in vniuerſum Traditiones, debuit Concilium contra errorem illum determinare: Traditiones eſſe accipiendas, & retinendas.

ARTICVLVS TERTIVS.

Pro Seſſione quinta de peccato originali, & de Reformatione.

Contra Decretum de peccato originali hoc erat Sophiſma: *In propoſitionibus ſubalternis, quando particularis eſt falſa, etiam vniuerſalis eſt falſa; pari modo, quando particularis eſt dubia, etiam vniuerſalis eſt dubia. Si enim dubitatur de hac propoſitione: aliquis homo eſt animal, dubitatur etiam de illa: omnis homo eſt animal. Quando ergo definitur in Concilio, quod*

Adæ peccatum pertranſierit in omnes homines, & relinquitur dubium de B M. V., remanet etiam dubia propoſitio illa vniuerſalis: quod peccatum Adæ pertranſierit in omnes homines.

Reſpondetur, exceptionem ab originali peccato fuiſſe Priuilegium B. M Virginis, per quod excepta fuit à lege communi; quãdo ergo Concilium definiuit, quod *peccatum Adæ pertranſiuit in omnes homines*, declarauit legem communem; quando vero reliquit dubium circa hoc, quoad B. M. Virginem, huius Priuilegij poſſibilitatem inſinuauit; & hâc ratione duo illa Decreta ſibi inuicem non opponuntur.

Contra Reformationis Decreta, quæ primo in Seſſione iſtâ habuerunt initium, voluiſſent Hæretici, atque Hiſtoricus noſter cum illis, vt Canoniſtis indiceretur, *ne quando ſermo apud eos eſſet de Romano Pontifice: vterentur nominibus illis, quæ ſoli Deo competere de iure debent*. Præterea, vt Theologis præciperetur, *vt in explicandâ Chriſtianâ Doctrinâ, potius Sacrâ Scripturâ vterentur, quam Ariſtotelis Philoſophiâ, qui omnia etiam de Deo vocauit in dubium.* Reſpondetur Hæreticorum petitionibus aſſentiẽdum non eſſe, quod ſolum ſufficit pro noſtri operis inſtituto. Quod ad Canoniſtas, dicimus Romanum Pontificem Chriſti filij Dei viui in terris eſſe Vica-

rium,

rium: cum ergo Dei vices in Eccleſia teneat, etiam epitheta illi conueniunt: quando & de hominibus Deo gratis, *Deos eſſe*, Scriptura teſtatur. Quod vero ad Theologos attinet, ſatis apparet Scriptoris impudentia; Theologi enim, quando Chriſtianam Doctrinam explicant, ſemper Sacrâ Scripturâ vtuntur, & recto ordine illam interpretantur, Sanctorum Patrum Decretis innixi.

Sed Hæretici Sacras literas paſſim vel reijciunt, vel corrumpunt, vel Sophiſtico modo exponunt. Ariſtotelis Philoſophia in rebus Chriſtianæ Fidei explicandis prudenter, ac laudabiliter apud ſummos & ſapientiſſimos Theologos ſemper fuit in vſu. Verùm huius temporis Hæretici hâc in re Iulianum Cæſarem á Chriſtiana Religione apoſtatam imitantur, qui vt Chriſtianam Fidem, quantùm in ſe erat, è medio tolleret, Ariſtotelis, aliorúmque Philoſophorum libros Chriſtianis interdixit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Pro Seſſione ſexta, de Iuſtificatione & Gratia.

QVæ aduersùs Seſſionis ſextæ Decreta referuntur, diuiſa per hominum claſſes in hunc modum ab Hiſtorico afferuntur. Grammatici dicebant, *in Decretis hiſce mul-*

tas obſcuras loquendi formas inueniri, & ſignanter in Capite quinto, vbi dicitur neq; vt homo ipſe nihil omnino agat,&c. *poterat enim dici,* vt homo ipſe aliquid agat. Hiſtorici dicebant, *in Seſſione hac Fidei Decreta facta eſſe, quanta nunquam in omnibus alijs præteritis Concilijs* Politici voluiſſent, *vt ſicut in Seſſione hâc Synodus monet omnes de obſeruantia Dei, & Eccleſiæ Præceptorum, ita moneret, vt Principum præceptis obtemperent. cum tamen in Scholis doceatur, homines non teneri in conſcientiâ ad obſeruantiam horum Præceptorum, niſi tantum ad euadendas pœnas temporales.*

Theologi dicebant primo, *ſi homo poteſt diuinas inſpirationes reſpuere, fruſtratoria illa eſſent ad Deum orantis Eccleſiæ verba:* & ad te etiam rebelles compelle propitius voluntates. Secundo, *ſi homo aliquid ageret aſſentiendo diuinæ Gratiæ, non eſſet verum, quod Apoſtolus dicit, ab homine non proficiſci, quod vaſa iræ, à vaſis miſericordiæ ſeparantur.* Tertio dicebant in Capite ſeptimo, eſſe repugnantiam: *cum dicitur dari vnicuique Iuſtitiæ menſuram ſecundum Dei beneplacitum: & propriam vniuſcuiuſque ſuſcipientis diſpoſitionem.* Quarto mirabantur, *quod hic damnabantur aſſerentes, fieri non poſſe, vt homines omnia Dei Præcepta obſeruent: cum tamen eadem Synodus ſupra Seſſione quarta hortetur homines, vt diuina Præcepta*

Dom. 1. Pentecoſt.

Rom. 9.

pta obſeruent, quantum quiſque poteſt: quæ conditio impia eſſet, ſi homo poſſet omnia diuina Præcepta obſeruare.

Reſpondeo, quoad Grammaticos, ſatis ex illo argumento apparere Hiſtorici leuitatem, atque nequitiam, qui in re tam graui, tam vilia argumenta proponat. Quis tam ignarus eſt, qui dubitet multa per negationem, multa per affirmationem melius explicari, quamuis vnus, & idem ſit rerum ſenſus: ita vt perſæpe eadem res, vel ſub hâc, vel ſub illâ loquendi formâ diuerſa videatur à ſemetipsâ? non enim idem explicari videtur, quando dicitur, *ego poſſum dolere*, & quando dicitur, *ego non poſſum non dolere*. Aliam enim vim ſignificandi habet primus, & aliam ſecundus loquendi modus; ita eſt in caſu noſtro, vt patet ex verborum collatione.

Ad Hiſtoricos dico, ex hoc apparere ſub Concilio Tridentino fuiſſe magnum Hæreſum numerum. Si in Concilio Epheſino pro vnâ tantum Neſtorij damnanda Hæreſi conditi ſunt 12. Canones ſub Anathemate, quid mirũ, ſi pro materiâ *de Iuſtificatione, & Gratia, & libero arbitrio, & Prædeſtinatione*, circa quam tam multæ & variæ circumferebantur eo tempore Hæreſes, pro clariori veritatis explicatione Canones 33. conditi ſunt? Ad Politicos dico, Concilium tantum decreuiſ-

ſe contra transgreſſores Præceptorum Eccleſiæ, quia hæc Hæreſis ferebatur eo tempore, dicentium *homines non peccare transgrediendo Præcepta Eccleſiæ.* Nam quoad obedientiam præſtandam Principibus temporalibus, iam hoc decretum fuerat in Concilio Conſtantienſi, contra Bohemos Seſſione vltima. Et quidem omnes Theologi communiter aſſerunt, *homines teneri in conſcientia ad ſeruandas leges Principum temporalium*, niſi quod multi dicunt, *Principes Laicos per pœnas, quas pro legum obſeruatione imponunt, communiter non intendere obligare Subditos in conſcientia.*

Pro Theologis ad primum dico, Eccleſiam petere tale auxilium à Deo, vt emolliat duritiem noſtri cordis tali pacto, vt noſtra voluntas, quæ eſt rebellis Deo, ſuis inſpirationibus aſſentiatur. Quæ quidem voluntas, etiamſi poſſit diſſentire ob libertatem, quam habet: de facto tamen non diſſentiet ob illuſtrationem mentis acceptam à Deo, & veri boni cognitionem. Ad ſecundum dico, quod licet ſit veriſſimum ſecundum Apoſtolum, quod ab homine ſimpliciter non proueniat Iuſtificatio impij, ſignificata per ſeparationem vaſorum miſericordiæ, à vaſis iræ, quia hoc prouenit à Deo, à quo deſcēdit omnis gratia ad hanc operationē: hinc tamē

non

non ſequitur, quod homo nihil omnino agat pro ſuâ Iuſtificatione acquirendâ.

Ad tertium dico, Dei beneplacitum, & diſpoſitionem hominis ſemper ſimul inueniri pro accipiendâ Iuſtitiâ. Ipſe enim Deus, qui iuxta ſuum beneplacitum dat iuſtitiam, etiã diſponit homines ad accipiendam illam. Ad quartum dico, Concilium in Seſſione ſextâ loqui de Præceptis diuinis in vniuerſum tam poſitiuis, quam negatiuis, ad quæ obſeruanda homines tenentur ſub peccato mortali. In ſecundâ vero Seſſione, loqui de Præceptis poſitiuis quibuſdã, ſiue bonis operibus, vt ſunt, orationi vacare, ieiunare, Eleemoſynas erogare, &c. quæ quidem obſeruanda ſunt iuxta cuiuſq; poſſibilitatẽ, ſecundum varias circũſtantias. Et hoc apertè apparet ex textu ipſo, in quo Sancta Synodus hortatur Chriſti fideles, vt pro bono Concilij euentu, ad hæc & ſimilia facienda, diuinum implorent auxilium.

ARTICVLVS QVINTVS.

De Diſputationibus inter Ambroſium Catherinum, & Dominicum Soto.

POſtulat locus iſte, adiungere ea, quæ ſcribit Hiſtoricus de contentione inter Ambroſium Catherinum, & Dominicum Soto circa certitudinem gratiæ, & peccatorum re-

miſſionem. Qua in re Hiſtoricus nonnulla vera innumeris falſis permiſcet ad conculcandam Tridentini Concili authoritatem, quæ autem narrat, hæc ſunt:

Dominicus Soto Ordinis Prædicatorum inſignis Theologus, in ipſo celebrationis Concilij tempore ſcripſit librum de Natura & Gratia, qui fuit quaſi quædam explicatio Decretorum de Iuſtificatione, & aliorum, quæ in hâc ſextâ Seſſione continentur. In opere illo, vbi dicebatur, Sanctam Synodum decreuiſſe, hominem ſcire non poſſe certitudine Fidei, ſe gratiam diuinam accepiſſe: *offenſum ſe putauit Ambroſius Catherinus eiuſdem Religionis Theologus, & non obſtante Concilij Decreto in oppoſitâ ſuâ ſententiâ permanebat. Quare & ipſe ad Patres libellum edidit pro ſuâ oppoſita ſententia, vt oſtenderet, non fuiſſe intentionem Concilij definire, hominem certum eſſe non poſſe, de acceptâ gratiâ: imo & contrarium ſtatuiſſe, dum Canone 26. damnat eos*, qui aſſerunt iuſtos non debere exſpectare, & ſperare mercedem: *nam ſi exſpectant, & ſperant mercedem, vt iuſti: neceſſe eſt, vt ſciant ſe eſſe tales.*

Addebat præterea Catherinus, pugnare inter ſe hæc duo: *homo non eſt certus de gratiâ, & homo voluntariè accipit gratiam. Scribit deinde Hiſtoricus, Patres, atque ipſos Legatos hâc de re pro ſedanda contentione interrogatos diuer-*

ſimode

ſimode reſpondiſſe: quoſdam pro Soto, & quoſdã pro Catherino. Alios vero, quos bonos appellat Hiſtoricus, dixiſſe, ſe Decreto aſſenſum præbuiſſe, eò quia videbant oppoſitas partes in eo concordare. Et hoc modo Hiſtoricus iactabundus carpit Patres, qui quaſi oſcitantes, hæc decreuerint. Refert hoc loco Hiſtoricus,& cõfutat quandam opinionem dicentium, *hac Spiritus Sancti afflatu eueniſſe: ſicut Caiphas veriſſimam ſententiam tulit, non quidem à ſemetipſo, ſed quia erat Pontifex anni illius,* ſed quanto in Catholicam veritatem liuore,& fraude dicta hæc ſint, ex ſeipſo quiſque poſſit cognoſcere.

At velim ſcire,ex quo loco hæc Patrum reſponſa Hiſtoricus ſumpſerit? non ex alijs certe, quam ex illo Satanici animi fonte, ex quo omnes impoſturæ, ac mendacia oriri ſolent. Et quidem ſatis apertè ſuum mendacium, atque iniquitatem oſtendit, dum narrat, *Apoſtolicos Legatos, atq; alios ſapientiſſimos Patres, tam inaduertenter decreuiſſe, vt poſt Decreta iam edita & euulgata, de eorum ſenſu ac ſignificatione perplexi, atq; incerti eſſent:* præſertim de re tam graui, & circa quam examinandam longum tempus impenſum. Sed nemo eſt tam ſtultus, & amens, qui legendo SacroSancti Concilij Decreta, ſimpliciter ex ipſorum verborũ ſignificatione, non cogno-

ſcat Sanctam Synodum, non modo aſſeruiſſe capite 10. in calce, *quod nullus ſcire valeat certitudine Fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum*, verum etiam ex iſta Concluſione alias præterea ſtatuiſſe.

Et quidem non vnum eſt Hiſtorici in Catherini causâ mendacium; etenim non ſolû mentitur in Patres, quos tam ſtultos, & incertos fingit in decernendo, & in explicandis Decretis, vt ſupra diximus: verùm etiam mentitur in ipſum Catherinum, quem pro ſuâ ſententiâ, tam inepta argumenta propoſuiſſe commemorat, ipſo quidem Catherino indigna. Cum tamen Bellarminus in Controuerſijs de Iuſtificatione libro 3. capite 3. referat, & ſoluat alia pro hâc re Catherini argumenta, ſed nihil de illis, quæ hic ab Hiſtorico afferuntur: quod certe Bellarminus feciſſet, ſi ea in ſcriptis Catherini inueniſſet, quæ cum non inueniantur, conficta ſunt, procul dubio ab Hiſtorico, ſummo quidem mendaciorum Magiſtro.

Sed ad ſoluenda relata argumenta accedamus. Ad primum ex Canone 26. vbi dicitur, *ſi quis dixerit iuſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, exſpectare & ſperare æternam retributionem, Anathema ſit*, dico, quòd duo, quæ ex Canone inferuntur pro Catherino, errores, & fallaciæ ſint. Primus

mus error eſt, *iuſtos pro bonis operibus exſpectantes, & ſperantes æternam retributionem, debere etiam credere, & pro certo habere, ſe gratiam Dei eſſe conſecutos,* quaſi dicat, *eos qui dubitant de gratiâ acceptâ, non poſſe exſpectare, & ſperare*; poſſunt enim ſtare ſimul exſpectatio & ſpes, cum dubio de acceptâ gratiâ, vt aperte deducitur ex eodem capite 10. Et certe ridiculum eſt, aſſerere exſpectationem, & ſpem nō poſſe eſſe cum metu in contrariā partem.

Secundus error oritur ex verbo illo, *non debere*; nam damnatio ipſius, non eſt obligatio oppoſiti, atque eius neceſſitas. Sancta enim Synodus damnando eos, qui aſſerunt iuſtos non debere exſpectare, & ſperare retributionem, nōn præcipit, aut declarat, *ſimpliciter teneri ad exſpectandum, & ſperandum retributionem, maximè certiſſima exſpectatione, & infallibili ſpe:* ſed tantum declarat, *iuſtos exſpectando, & ſperando non errare:* definitio enim facta fuit aduersùs eos, qui dicebant, *bona opera non eſſe facienda intuitu æternæ retributionis, & peccare eos, qui hæc faciunt.* Qua de re Sancta Synodus loquitur capite 11.

Ad ſecundum, in quo dicebatur, *hæc duo ſimul ſtare non poſſe: homo voluntariè accipit gratiam, & homo non eſt certus de gratiâ acceptâ,* dico argumentum hoc indignum eſſe, vt Catherino tribuatur. Etenim gratia Dei non eſt

inſtar pomi, quod cum homo voluntariè accipit, ſcit ſe accepiſſe: ſed gratia Dei eſt quid immateriale, & ſupernaturale, quæ nec ſenſu, nec intellectu in ſe percipitur. Et licet homo voluntariè appetat gratiam, & ad illam ſe diſponat, vnde conſequenter poteſt dici, quod voluntariè illam recipiat: tamen etiam quando illam habet, neſcit ſe illam habere, quia etiam neſcit, an bene ſe diſpoſuerit ad illam. Non diſſimile eſt, quod experimento patet in homine ægroto, qui voluntariè accipit medicamenta & ſe diſponit ad ſanitatem: ſed voluntariè illam accipiendo neſcit, an verè illam habeat. Idem dicendum de gratiâ, quæ eſt ſanitas animæ.

ARTICVLVS SEXTVS.

Pro Seſſione ſeptima, de Sacramento Baptiſmi.

ADuerſùs Decreta Seſſionis ſeptimæ, hæc ex obliquo de Sacramento Baptiſmi inuenluntur Hiſtorici argumenta, & calumniç. Narrat Hiſtoricus, *Theologos in conſultatione de Miniſtro Sacramenti Baptiſmatis dixiſſe: poſſe etiam Hæreticos eſſe Miniſtros huius Sacramenti, dummodo adſint eſſentialia, quæ requiruntur: ſcilicet materia, forma, & intentio Miniſtri. Aſſignabant pro hâc determinatione reſponſum Stephani Papæ Primi, de non rebaptizãdis his, qui ab Hæreticis baptizati ſunt.* Con-

Contra hanc Theologorum conſultatio-nē Hiſtoricus ſuis calumnijs vtitur hoc modo. Primo, *antiquis illis temporibus non erat hæc diſtinctio, neq; fuit vnquam ſermo de materiâ, de formâ, & de intentione Miniſtri in Sacramentis. Quare non eſt, quod circa Baptiſmũ ſit inhærendum authoritati, & reſponſo Stephani Papæ Primi.* Secundo, *quia Eccleſia omnes pænitentes Hæreticos ſine nouo Baptiſmo recipiebat: non obſtante, quod illi antiqui Hæretici de Chriſti diuinitate non bene ſentiebant: vnde varijs formis, diuerſis à noſtra communi, in Baptiſmo vtebantur.* Tertio addit Hiſtoricus, *Africanos, & Cappadoces, omnes Hæreticos pænitentes rebaptizaſſe; Nicænos, & Calcedonenſes Patres diſtinctione vſos; Baſilium affirmare, in Romana Eccleſiâ aliquos Hæreticos non rebaptizari, quos tamen ipſe à ſe rebaptizatos eſſe aſſerebat.*

Verum quam falſo hæc, & fallaciter dicta ſint, ex eorum ſolutione apparebit. Ad Primum ergo dicendum, quod quamuis antiquitus in declarandâ Sacramentorum eſſentiâ non fuerit hic vſus vocum, quibus Theologi poſtea vſi ſunt. Certum eſt tamen, eandem ſemper fuiſſe Sacramentorum ſubſtantiam; & idem eſt dicere: *non rebaptizandos eſſe eos, qui ab Hæreticis baptizati fuerint, dummodo ſeruetur materia, forma, & intentio Mi-*

niſtri, ac dicere: *non rebaptizandos eos, qui ab Hæreticis baptizati fuerint, dummodo ſeruentur ea, quæ pertinent ad ſubſtantiam veri Baptiſmatis.* Sed Hiſtoricus non verè, nec ſecundum Hiſtoriam loquitur de Stephani Papæ reſcripto: Pontifex enim ibi non ſimpliciter loquitur, *de non rebaptizandis his, qui ab Hæreticis Baptiſmum acceperunt:* ſed de his, *qui in Hæreſi baptizati fuerint, vel poſt Baptiſmum in Hæreſin lapſi.* De quâ re melius in ſequenti.

Ad ſecundum ergo reſpondeo, quæſtionẽ hanc ortam fuiſſe tertio ſeculo poſt Chriſtũ natum apud Africanos & Orientales, qui aſſerebant *Hæreticos pænitentes rebaptizandos eſſe.* Contra quos Stephanus Pontifex ſcripſit, *nihil innouandum, ſed ſeruandum antiquum Eccleſiæ vſum*, quæ pænitentes Hęreticos *nunquã rebaptizauit:* addens, *ſe excommunicaturum omnes eos, qui hoc fecerint, vel faciendum dixerint.* Intelligebat enim Pontifex, quod per Hæreſin non impeditur receptio Baptiſmi, neque per eam Baptiſmi Character amittitur, contra id, quod Africani, & Orientales aſſerebant. Quare iſtorum error non erat in his, quæ pertinent ad ſubſtantiam Baptiſmi, neque circa adminiſtrantes Baptiſmum: ſed circa malam diſpoſitionem eorum; ſcilicet Hæreſin, vel in recipiendo Baptiſmo, vel poſt Baptiſmum acceptum.

His

His poſitis, dico falſum eſſe, quod ſibi fingit Hiſtoricus, *Eccleſiam promiſcue ſine Baptiſmate recepiſſe Hæreticos pænitentes: etiam illos, qui malè ſentientes de Chriſti diuinitate, acceperunt Baptiſmum ſub formâ diuersâ, à verâ & Catholicâ.* Illi enim per Baptiſmum non bene collatum, non dicuntur baptizati, neq; cum verè baptizantur, dicuntur rebaptizari. Vnde & verum eſt, quod *ſimpliciter loquendo, Eccleſia ſine nouo Baptiſmo receperit Hæreticos pænitentes iuxta Decretum Stephani Papæ*, non tamen, *quod non baptizauerit eos, qui verè baptizati non fuerunt.* Quæ veritas etiam conſtat ex his, quæ in tertio argumento Hiſtoricus refert.

Ad tertium ergo dicendum, *Africanos, & Cappadoces rebaptizaſſe pænitentes Hæreticos*, & in hoc errauiſſe, vt dictum eſt; Nicænum vero, & Chalcedonenſe Concilium diſtinctione vſa, *non baptizando Hæreticos, qui verè baptizati fuerant: & baptizando eos, qui verè non fuerant baptizati, ex defectu veræ formæ Baptiſmatis, & Hæreticorum errore.* Quod ſimpliciter eſt contra id, quod ſupra attulerat in præcedenti argumento Hiſtoricus, qui mendaciter Theologorum conſultationem refert ad Concilij Decreta; confundit enim per fraudem ipſam Hæreſin cum Hæreticis miniſtrantibus, & facit ex duobus vnum tantum;

tum;

tum; cum tamen Tridentinum Concilium hæc duo ſeparatim damnet, primum Canone vndecimo, ſecundum Canone quarto. Quod refert de Baſilio, nihil dicam, iam patet Hiſtoricum mendaciſſimum eſſe, & pro libidine ſcribere. Cæterum neque id, quod dicit aliquid valet, illud enim non ad Ius, ſed ad factum refertur.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Pro Seſſione XIII.

De Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento.

CONtra ea, quæ ad Sanctiſſimam Euchariſtiam pertinent, hæc afferuntur ab Hiſtorico. Primo, *videtur eſſe Contradictio in verbis Decretorum. Prius enim dicitur, exiſtentiam Chriſti in Euchariſtiâ eſſe ineffabilem, & quæ proprijs verbis explicari non poſſit; deinde dicitur, Conuerſionem iſtam panis, & vini in Corpus, & Sanguinẽ Chriſti, propriè vocari poſſe Transſubſtantiationem.* Secundo, *videtur Concilium non rectè aſſerere, cum dicit: Chriſtum peractâ Conſecratione dixiſſe diſcipulis: hoc ſuum eſſe Corpus, & Sanguinem, quod porrigebat, ex hoc enim ſequitur, quod verba illa: hoc eſt Corpus meum, non ſint verba Conſecrationis, cum Conſecratio iam fuerit peracta.*

Tertio,

Tertio, *Concilium non bene probat Chriſtum in Euchariſtiâ eſſe ante vſum, ex eo, quod antequam diſcipuli ſumerent Euchariſtiam Chriſtus dixerat, ſuum eſſe Corpus, quod porrigebat, nam porrectio ad vſum pertinere videtur.* Quarto, *Synodus hoc loco vtitur verbis improprijs, nam capite quinto dicit: Sacramentum hoc colendum eſſe adoratione latriæ, & capite ſexto dicit: Filium Dei eſſe in Sacramento. Iſta enim diuerſa ſunt, eſſe Sacramentum, & eſſe in Sacramento; quare ſaltem prima impropria eſt locutio.* Quinto, *non rectè Canone tertio dicitur, totum Chriſtum facta ſeparatione reperiri in quâlibet Hoſtiæ parte, quia etiam adeſt non factâ ſeparatione.*

Ad primum dico, nullam eſſe Contradictionem, poſſunt enim hæc duo ſimul ſtare: *modus exiſtendi Chriſti in Euchariſtiâ eſt ineffabilis*, &, *Cõuerſio illa dicitur Transſubſtantiatio, &c.* ſunt enim duo diuerſa. Ad ſecundum, Sanctam Synodum vſam eſſe eiſdem verbis, quibus vſi ſunt Euangeliſtæ, quæ Hiſtoricus malè interpretatur, & refert. Non enim Chriſtus poſt Conſecrationem dixit illa verba: *Hoc eſt Corpus meum*, ſed poſt benedictionem; benedictio autem non eſt Conſecratio, quæ facta fuit à Chriſto per verba, quæ porrigendo expreſſit. Sed Hiſtoricus per fraudem confundit hæc duo. Ad tertium dico, quod porrectio non pertinet ad vſum, niſi antece-

Matthæi 26. cap. 26. Marci 14.

antecedenter, nam vſus eſt ipſa ſumptio. Cũ ergo id, quod præſens eſt, non efficiatur tale per id, quod erit futurum: & Chriſtus ſumma veritas in præſenti ſimpliciter affirmarit, *ſuum eſſe Corpus id, quod porrigebat*, certè erat ante vſum, qui futurus erat, & poterat eſſe, vel non eſſe; poteſt enim eſſe porrectio ſine ſumptione. Ad quartum nihil dicendum, niſi quod ſit fatuum Pædagogorum Sophiſma; ſed hallucinatur Hiſtoricus dicẽs, *immutatum eſſe in Canone ſexto, quod dictum fuerat in capite quinto*: in hoc enim capite idem explicatur. Cum enim dixiſſet, *Sacramentum hoc colendum latriæ cultu*, ſubdit, *nam illum eundem Deum præſentem in eo adeſſe credimus*, quod certè nihil differt ab eo, quod dicit Canone ſexto. Ad quintum dicendum, ſtultam eſſe conſequentiam. Sancta enim Synodus hoc dixit, vt oſtenderet, *Chriſtum eſſe totum, etiam in minimis partibus Hoſtiæ.*

ARTICVLVS OCTAVVS.

Pro Seſſione XIV.

De Sacramento Pænitentiæ.

ADuerſus Decreta de Pænitentia diuerſimode argumentatur Hiſtoricus. Primò, *non videtur verum, hanc peccatorum Confeſſionem coram Sacerdote faciendam, cum tam accu-*

cato & diligenti examine. Secundò, *ſi forma Sacramenti huius eſt*: abſoluo te, *cur etiam non eſt*, remitto tibi peccata, *cum vtrumque à Chriſto fuerit inſtitutum?* Tertiò, *ſi Sacerdos vtramque poteſtatem habet ligandi, & ſoluendi: cur quando abſoluit*, dicit, abſoluo te, *& quando non abſoluit*, non dicit, ligo te? Quartò, *dubitatur de eo, vbi dicitur explicandas eſſe in Confeſſione circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant; quia hæc in Eccleſiam videntur inductæ ex Ariſtotelis doctrinâ, qui egit de Genere, & Specie.* Quintò, *quod non ſint explicanda peccata in ſpecie, facit, quia Chriſtus ſolum dixit: quorum remiſeritis peccata &c. loquendo tantum in vniuerſali.* Sextò, *Iudicis eſt, tantùm declarare, reum eſſe dignum abſolutione: quia abſolutio verè pertinet ad Principem. Quare, ſi Sacerdos eſt iudex, non verè abſoluit, ſed tantum debet annunciare peccatori: remiſſa eſſe, vel remittenda peccata, contra id, quod dicitur Canone nono.* Septimo, *ſi peccata explicanda ſunt, vt iuxta eorum grauitatem ſatisfactio imponatur, non cenſendi ſunt abſoluti hi, qui à Sacerdote pro grauiſſimis peccatis leuiſſimum ſatisfactionis pondus, ſiue pænitentiam accipiunt.*

Ad primum pro reſponſione ſufficiunt ea, quæ à Sanctâ Synodo afferuntur in doctrinâ, & praxi: quæq; à principio Eccleſiæ, vſq; ad hæc tempora, accuratiſſimè declarat, & oſtendit

ſtendit Bellarminus in controuerſijs de Sacramento pænitentiæ Ad ſecundum reſpondeo, abſolutionis formam eſſe, *abſoluo te*, tum quia reſpondet verbis Chriſti, tum quia hac formâ vſa eſt ſemper Eccleſia. Non debet dici, *remitto tibi peccata*, quia eſſet contra vſum Eccleſiæ: & præterea, quia hæc verba latino Idiomate poſſunt accipi in vario ſenſu. Vnde poſſet dubitari de validitate Sacramenti.

Ad tertium dico, quod Sacerdos, quando non abſoluit, non dicit, *ligo te*, ſicut abſoluendo dicit, *abſoluo te*. Primo, quia hæc eſt forma Sacramenti animam ſanctificantis; illa vero non. Secundò, quia Peccator cum non abſoluitur, eo ipſo remanet ligatus. Tertiò, quia poteſtas ligandi refertur ad Claues, per quas Epiſcopi, eorúmq; Delegati habent poteſtatem etiam imponendi Cenſuras. Dicitur autem Sacerdos in Sacramento Pænitentiæ, etiam habere poteſtatem ligandi, quatenus poſt abſolutionem ligat pænitentem, ad aliquod bonum opus pro ſatisfactione peccatorum perficiendum.

Ad quartum dico, hæc nomina *Genus*, & *Species*, non eſſe inuenta ab Ariſtotele, aut ab alio quocunque Philoſopho, cum etiam ſint in vſu apud homines vulgares, & Idiotas. Imo, cum nomina hæc neceſſaria ſint ad hu-

ad humanos conceptus exprimendos, natura ipſa in ore hominum illa poſuit. Sunt quidem à Philoſophis varia nomina inuenta pro eorum formalitatibus explicandis, ſed talia non ſunt genus, & ſpecies. Hæc enim in Sacris literis inueniuntur. Chriſtus enim in Euangelio dixit, *hoc genus Dæmoniorum*, & per Prophetam dicitur, *plurima ſpecies erunt piſcium*. Sed quidquid ſit de hoc, quid obeſt, quod Sancta Synodus in his explicandis vtatur terminis Philoſophicis, qui paſſim intelliguntur ab hominibus? cum enim certum ſit in Confeſſione explicandum, an fornicatio fuerit ſimplex, an adulterium? conueniens viſum fuit, pro hoc facilius declarando dicere: *narrandas eſſe in Confeſſione circumſtantias, quæ ſpeciem mutant*.

Plutarchus in Cicerone.

Matth. 17.

Ezech. 47.

Ad quintum dicendum: quod licet Chriſtus pro ligando, & ſoluendo locutus fuerit de peccatis in vniuerſali, tamen quia Sacerdos debet ſcire, quæ ſoluat, & quæ non ſoluat, explicanda ſunt peccata in particulari. Vnde Chriſtus concedendo poteſtatem Sacerdoti *ligandi & ſoluendi, & remittendi, & non remittendi*, conſequenter impoſuit, vt peccata declarentur in particulari.

Ad ſextum, Sacerdotem eſſe iudicem, ad quem ſpectat perpendere hominum iniqui-

tates, & pænitentium actus, & de his ferre iudicium. Vnde abſoluendo verè remittuntur pænitenti peccata, quod prouenit ex Chriſti Domini decreto dicentis: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Neque eſt ſolius Principis abſoluere, ſed etiam inferiorum iudicum, licet hanc poteſtatem habeant à Principe.

Ad ſeptimum dico, peccata primo, & per ſe explicanda, vt Sacerdos ſciat quid remittat, vel non remittat: conſequenter vero, vt peccator ſalutare ſatisfactionis onus accipiat. Sunt & nonnullæ aliæ calumniæ partim poſitæ in Theologorum conſultatione, quæ cum ſint, vel ex liuore relata, vel falſa, vel leuia, & incerta, potius contemnenda, quam redarguenda ſtatuimus; cum præſertim ex ipſa Hiſtoria pateat, quod his non obſtantibus, Patres in Concilio nemine diſcrepante ad ea definienda proceſſerint.

ARTICVLVS NONVS.

Pro Seſſione XXI.

De Communione ſub vtraque ſpecie.

PRimo arguitur contra huius Seſſionis

Decre.

Decretum, in quo relinquitur indeterminatum, *an Calicis vſus ſit concedendus Laicis, & alijs non conficientibus?* cum tamen alia fuerint determinata circa Communionem ſub vtrâque ſpecie. Arguebatur autem hoc modo: *erat facilius determinare ea, quæ ſunt de iure humano, quam ea quæ ſunt de iure diuino.* Adde, quod determinato Calicis vſu, non opus erat reliqua determinare. Secundo, contra id, quod dicitur Capite tertio, *Fideles communicantes ſub vnâ tantum ſpecie, non fraudari gratiâ neceſſaria ad ſalutem,* dubitabatur: *quia ſi Leges Eccleſiæ poſſent priuare homines gratia, licet non neceſſariâ ad ſalutem, eſſet contra Charitatē.* Tertio, *non rectè damnātur dicentes, Eccleſiam non habuiſſe iuſtas cauſas tollendi Laicis Calicis vſum, quia hoc eſt de iure humano. Quod ſi autem habuit Eccleſia iuſtas cauſas, debuiſſet in Concilio declarari, quænam fuerint hæ iuſtæ cauſæ.* Quarto, *non rectè ponitur credendum, antiquos Patres non putauiſſe neceſſariam ante vſum rationis Communionem paruulorum, hoc enim ad factum humanum pertinet: tanto magis, quia vſus illorum Patrum eſt in contrarium. S. Auguſtinus nouem locis aſſerit, Communionem paruulorum eſſe neceſſariam, quam parem facit Baptiſmo; & quod hæc fuerit Romanæ Eccleſiæ doctrina, teſtatur Innocentius Papa in ſuâ Epiſtolâ.*

Ad I. dico, conueniens fuiſſe prius determinare ea, quæ ad ius diuinum pertinent, ex quorum declaratione clarius appareret reſolutio dubitationis de Calice concedendo. Oppoſitum factum fuiſſet non debito ordine, cum incertitudine, & confuſione. Impertinens autem eſt comparatio, *quod facilius fuerit concedere Calicem, quam determinare reliqua, quæ ad Fidem pertinent.* Hæc enim ſunt res diuerſæ inter ſe, & aliud eſt definire res Fidei, & aliud eſt condere Leges Eccleſiaſticas: quæ ſubinde & ipſæ ob circumſtantias, magnam habent difficultatem. Ad II. quod in condendis Legibus præſertim Eccleſiaſticis, prius habendus eſt reſpectus ad Deum, deinde ad homines. Honor enim Dei etiam ad hominum ſalutem confert; quare non eſt contra Charitatem id, quod fit in non neceſſarijs habito reſpectu ad honorem Dei, vt in caſu noſtro. Ad III. dico, quod licet Lex Eccleſiæ ſit Lex humana, tamen Eccleſiæ authoritas eſt de iure diuino; vnde qui ei contradicit, damnandus eſt, vt Hæreticus; quod autem determinatæ non fuerunt cauſæ, cur Eccleſia ſubtraxerit Laicis Calicis vſum, non eſt noſtrum imponere Leges Concilio. Ad IV. reſpondetur: hoc pertinere ad ius, non ad factum, quia dicere, *antiquos Patres puta-*

uiſſe

ſe Communionem eſſe neceſſariam ante vſum ationis , eſt affirmare authoritate Patrum, uod falſum omnino eſt. Cæterum, quod dicit e authoritate Auguſtini, eſt apertum mendacium ; & debuiſſet Hiſtoricus non loqui erperam, ſed referre loca, atque eius verba. ppoſitū enim ex eodem Auguſtino, aſſerit S. homas 3. p. q. 73. art. 3. referens verba eiſdem ad Bonifacium cōtra Pelagianos, quæ alia ſunt: *Nec illud cogitetis, paruulos vitam abere non poſſe, qui ſunt expertes Corporis, & anguinis Chriſti* ; & ibidem quæſtione 50. rticulo 7. refert eundem Auguſtinum, *aſſerentem paruulos ante vſum rationis Communicandos non eſſe.* De Innocentio Papâ certum eſt Hiſtoricum mentiri more ſolito.

ARTICVLVS DECIMVS.

Refellitur mendacium Hiſtorici de duobus Theologis ex Societate Ieſu.

POſtulat locus iſte, vt de quibuſdā rebus, quæ in ipſa Seſſionis XXI. Celebratione eueniſſe narrat Hiſtoricus, aliquid dicamus: vt eius falſitas cognoſcatur, & debitus honor optimis Societatis Ieſu Patribus reſtituatur. Scribit Hiſtoricus, *quod cum celebraretur Seſſio, & Miſſa cantaretur, Alphonſus*

Salmeron, & Franciſcus Turrianus Societatis Ieſu Theologi, Legatis ad conſeſſum à tergo ſtantes, hic Madrutium ille Varmienſem Cardinales alloquentes, dixerint ipſis: Primum Caput doctrinæ obſcurum aliquantum eſſe, atque ad dubitationem tollendam, omnino aliquâ declaratione indigere. Addendum enim dicebant: Chriſtum in nouiſſimâ Cœnâ inſtituiſſe ſanctiſſimam Eucharistiam ſub panis & vini ſpeciebus, tantum pro Apoſtolis, & Sacerdotibus, non autem pro Laicis, & aliis non conficientibus, aſſerentes declarationem hanc vtilem, ac neceſſariam eſſe; illis autem auſcultandum fuiſſe, erant enim Theologi miſſi à Romano Pontifice. Res cum Cardinale Mantuano primo Legato communicata eſt, atque eius iuſſu, eo ipſo tempore ad Patres præſentes diffuſa. Quæ licet nonnullis placuiſſet, communiter tamen diſplicuit omnibus ob temporis importunitatem: cum res tanti ponderis, in inſtanti, & ex improuiſo determinanda proponeretur. Quare reſponſum eſt: hâc de re aliâ in Seſſione agendum, cum de Calicis vſu determinandum fuerit.

Hæc Hiſtoricus, quæ quam mendaciter dicta ſint, ex triplici capite cognoſci poteſt. Quapropter obſeruo primo, actionem ipſam. Scire enim vellem, quando primum Theologi iſti ad Concilium acceſſerint, præcedenti ne die, an in ipſo Seſſionis inſtanti? Si primum,

primum, iam de Concilij Decretis eruditi potuiſſent adire Legatos, & talem declarationem faciendam tum proponere, & nō postea repentè, in ipſo euulgationis inſtanti. Si ſecundum, vnde iſti Theologi ſcire potuerunt id, quod continebatur in Decretis ante eorum euulgationem? fortaſſe aliquis diceret, tum primum illos Theologos habuiſſe Decretorum exemplaria; at debuiſſet Hiſtoricus ne falſus videretur, hoc explicare. Sed magna temeritas, & impudentia eſt, quæ doctiſſimis, & Sanctiſſimis illis Patribus tribuitur ab Hiſtorico, quod in momento, & ex improuiſo tanti ponderis declarationem, de his, quæ ad Fidem pertinent, faciendam peterent.

Obſeruo ſecundo, declarationis huius temeritatem, & falſitatem. Primo, quia ſemper Eccleſia intellexit inſtitutionem hanc Sanctiſſimæ Euchariſtiæ pro omnibus fidelibus factam eſſe in Cænâ nouiſſimâ; & limitatio hæc, *quod fuerit tantum pro Apoſtolis, & Sacerdotibus conficientibus*, nunquam audita *eſt*. Secundo, quia S. Paulus ſcribens ad Corinthios, voléntque ante illorum oculos ponere huius Sacramenti inſtitutionem, nullam aliam refert niſi illam, quam Euangeliſtæ factam in Cænâ nouiſſimâ narrant; neque Sancta hæc Synodus Seſſione XIII.

Capite I. ex Euangeliſtarum, & S. Pauli verbis aliam huius Sacramenti inſtitutionem aſſignat, quàm pro omnibus Chriſti fidelibus; vt ex terminis, & rerum ſerie patet. Quod, ſi hæc non fuit pro omnibus, ſed tantum pro Apoſtolis, & Sacerdotibus, debuiſſet aſſignari aliqua alia inſtitutio pro Laicis, & Clericis non conficientibus.

Obſeruo tertio, quod aſſertio illa nullis nititur fundamentis; quæ enim ratio aſſignari poteſt, cur inſtitutio illa fuerit pro Apoſtolis, & Sacerdotibus tantum, & non pro omnibus: cum communis Eccleſiæ ſenſus inſtitutionem hanc pro omnibus Chriſti fidelibus factam ſemper retinuerit? Obſeruo quarto, illam aſſertionem eſſe falſam, imò nec ab illis doctiſſimis Theologis propoſitam fuiſſe, quia ſi talis aſſertio, ſeu declaratio fuiſſet neceſſaria, (vt propoſuiſſe illos Theologos in Hiſtoriâ fertur,) certe in ſequenti Seſſione, ſiue aliâ occaſione oblatâ, vt promiſſum fuiſſe ſcribitur, hac de re & diſputatum, & definitum fuiſſet: quod certè non euenit, nec quidquam aliud hâc de re, in ipsâ Hiſtoriâ ſcribitur.

Reſtat igitur, hoc Hiſtorici eſſe figmentum & calumniam aduersùs iſtos ſapientiſſimos, & modeſtiſſimos Religioſos; contra quos in reliquo Hiſtoriæ progreſſu quâcun-

que

que occaſione oblatâ, diuerſimode ſuum euomit virus.

ARTICVLVS VNDECIMVS.
Pro Seſſione XXII.
De SacroSancto Sacrificio Miſſæ.

DE Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio nihil ferè in Hiſtoriâ ſcribitur, tantum ſunt nõnulla argumenta pro Miſsâ vulgari lingua celebranda, quorum ſum̃a hæc eſt. *Lingua latina non bene intelligitur, niſi à doctis, ob cuius obſcuritatem impeditur fidelium pietas, quare melius celebraretur linguâ vulgari.* Præterea, *ideo Miſſa Eccleſiæ initio celebrata fuit lingua Latinâ, quia tum lingua illa erat communis cum vulgari. vnde, cum ea hodie non ſit talis, relictâ illâ vtendum eſt linguâ vulgari.* Reſpondetur initio Eccleſiæ Miſſam inſtitutam fuiſſe in nobilioribus linguis, quæ tum erant in vſu, præcipuè Latinâ, & Græcâ; ſed corruentibus illis, & dilatatâ per vniuerſam orbem Eccleſiâ, non fuit expediens vti in Miſsâ alijs nouis linguis. Conſeruandæ enim antiquæ pietatis gratiâ, optimum viſum fuit relinquere Miſſam ſub illo Idiomate, ſub quo primitus inſtituta fuit.

Inique autem contrà contendunt huius

temporis Nouatores; quia, cum iam à mille annis vulgaris Latinæ linguæ vſus corruerit, nec quidquam de Miſſæ idiomate in Eccleſiâ fuerit immutatum: ipſi temerè deſtruere volunt, quod per tot ſecula ſemper ſeruauit Eccleſia, à Spiritu Sancto edocta. Et quis ignorat, omnia ferè hæreſum mala, quæ innumera ſunt, originem vel incrementum traxiſſe, ex Sacris literis in linguam vulgarem translatis? quandoquidem ex hoc quilibet imperitus, omni pietate & ſcientia deſtitutus, ad illarum interpretationem præſumit accedere. Cæterum pro tollendis illis impedimentis, quæ apud fideles poteſt afferre Latinæ linguæ ignoratio, præſto ſunt vbique Parochi, & Concionatores, quorum munus eſt Chriſti Euangelium, & alias Sacræ Scripturæ partes exponere. Sunt & nonnulla alia aduerſus huius Seſſionis Decreta, quæ cum abſque vllo fundamento ſint, ſpernenda potius, quam confutanda putauimus.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Pro Seſſione XXIII.

De Sacramento Ordinis.

Contra huius Seſſionis Decreta hæc refert Hiſtoricus. Primo *dubitatur circa Sa-*

a Sacerdotis poteſtatem, remittendi, & retinendi peccata; etenim, etſi conſtet, *quid importet remittere, tamen videtur incertum, quid ſignificet retinere.* Secundo, *dubitatur, an Ordines Minores ſint gradus ad Maiores?* Primo, *quia antiquitus vnuſquiſque in ſuo Ordine perſiſtebat, & ſuo munere fungebatur.* Secundo, *quia Ambroſius aſcendit ad Epiſcopatum, Hieronymus ad Presbyteratum, Gregorius ad Diaconatum abſque iſtis Ordinum gradibus.*

Tertio, *ridiculum videtur Decretum, quo imponitur Epiſcopis, vt quantum fieri poteſt, curent, vt quiſque Ordinatus in ſuo Ordine propria Miniſteria exerceat.* Quarto, *aduersùs Decretum, quod ordinandi ſaltem ſciant linguam Latinam, dicebatur, hoc non bene conuenire Concilio Generali, cuius Decreta ſunt pro omnibus Eccleſijs.* Quinto, *contra præſcriptum, vt Presbyteri debeant eſſe apti ad erudiendam plebem: dicebatur, hoc eſſe ſuperfluum, quia non omnes, qui ordinantur, habent voluntatem Curam Animarum ſuſcipiendi.* Sexto, *contra Canonem de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ dicebatur, hoc fuiſſe vocabulum in Eccleſia nouum, & tantum à Dionyſio vſurpatum, de cuius ſcriptis dubium eſt.* Septimo, *circa Decretum de Reſidentiâ Epiſcoporum, dicebatur, eſſe ſatis commune: cum certum ſit peccatum eſſe, ſine aliquâ causâ à commiſſo ſibi grege recedere.*

Ad

Ad I. dico, poteſtatem Sacerdotis circa peccata vnam eſſe, quæ duplici vocabulo exprimitur, ſcilicet *remittendi*, *& retinendi*. Quorum primum Sacerdos in ſe habet poſitiuè, quo ad ſecundum ſufficit, vt ſe habeat negatiuè. Ad II. dico, hæc duo ſtare ſimul poſſe, *& quod Ordines Minores ſint gradus ad Maiores*, *& quod habeant propria Miniſteria*, quæ antiquitus exercebantur à conſtitutis in tali Ordine. Neque hæc talia ſunt, vt noſtrâ tempeſtate ſint inaudita. De Ambroſio, quis negare vnquam poterit eum aſcendiſſe ad Epiſcopatum per Ordinum gradus in Eccleſia conſuetos? Breuiarium Romanum certè, & Metaphraſtes diſertis verbis hoc ità eueniſſe teſtantur; de alijs afferat Hiſtoricus aliquid in oppoſitum, aliter redarguetur, vt mendax.

Ad III. dico, Hiſtoricum loqui ex liuore: potuit enim id merito iniungi Epiſcopis, vt ſecundum temporum, locorum & perſonarum circumſtantias ſeruetur. Ad IV. dico, Concilium in eo Decreto inſpexiſſe tempus, locum & cauſam. Ad V. dico, optime hoc à Concilio præcipi, tum quia hoc pertinet ad Presbyteralem dignitatem, tum quia variari ſolet hominis voluntas & conditio. Ad VI. dico, Hiſtoricum

ſtoricum loqui ex liuore, & ignorantiâ; Hierarchia enim antiquiſſimum & conſuetum ſemper fuit nomen in Eccleſiâ. Vnde & Epiſcopi vocari ètiam ſolent Hierarchæ. Sed non eſt meum hoc loco, pro Dionyſij Areopagitæ libris longam texere quæſtionem. Illud certum eſt, etiam ſi libri illi non ſint Dionyſij, tamen propter Chriſtiani Authoris antiquitatem, apud fideles authoritatem habere, quod ſufficit hoc loco pro reſponſione. Ad ſeptimum, dico Hiſtoricum ex liuore ridicula etiam argumenta proponere.

ARTICVLVS DECIMVS TERTIVS.

Pro Seſſione XXIV. De Sacramento Matrimonij, & alijs.

ADuersùs Seſſionem 24. hæc referuntur: Primo, contra Canonem ſextum, *in quo dicitur Matrimonium ratum diſſolui poſſe ob alterius coniugis ſolennem Profeſſionem in Religione; quia Matrimonij vinculum diſſolui non poteſt.* Secundo, contra 7. *quia videtur captioſus, cum in obliquo dicat, quod re eſt idem.* Tertio contra 9. *in quo dicitur, quod Deus non denegat gratiam rectè petentibus, nec pati-*

tur

tur nos tentari ſupra id, quod poſſumus. Nam ex oppoſito in Euangelio legitur : non omnibus hoc datum eſſe; & Paulus dicit, melius eſt nubere, quam vri. Vnde, ſi verum quoad hoc dicit Concilium, hortaretur nos Paulus ad petendum à Deo caſtitatis donum. Quarto, contra Canonem 12. *vbi dicitur cauſas Matrimoniales ad iudicem Eccleſiaſticum pertinere; quia in Codice Theodoſij & Iuſtiniani, & apud Caſſiodorum inueniuntur leges de cauſis Matrimonialibus.* Quinto, contra Decretum de Matrimonijs Clandeſtinis: *dicebatur enim Concilium feciſſe, irrita, quæ priùs fuerunt vera Sacramenta*, ex quo notabatur erroris antiquitas, quia hoc non feciſſet; & verba Parochi eſſe ſcandaloſa, quaſi Matrimonium non perficiatur per verba contrahentium.

Sexto, *Irridebant Decreta circa diſpenſationes* Septimo, contra Decretum, *quod raptor teneatur dotare raptam iudicis arbitrio, dicebatur hoc eſſe impertinens; quia Eccleſia non habet ius, niſi excommunicandi.* Octauo, aduersùs primum de Reformatione Decretum dicebatur, *aut Concilium eſt ſupra Papam, aut non. Si primum, non debet verborum circuitione vti in decernendo; ſi ſecundum, non debet irritas facere leges prateritorum Pontificum* Nono, contra Decretum de cauſis Epiſcoporum ad Sedem Apoſtolicam deferen-

dis,

dis, *dicebatur hoc eſſe contra antiquorum exempla; olim enim Epiſcoporum cauſæ in proprijs Prouincijs terminabantur.* Decimo, *laudabatur Decretum cap. 14. ſed dicebatur hoc non obſtante oppoſitum permanere.* Vltimo dicebatur, *Declarationem*, de proponentibus Legatis cap. 21. *eſſe contrariam facto.*

Ad I. dico. Votum ſolemne in Religione, eſſe de iure diuino, vtpote promiſſionem factam Deo, & acceptatam ab Eccleſiâ. Quare nihil obſtat, quod Sancta Synodus declarat, *quod per tale votum ſolenne in Religione, diſſoluatur vinculum Matrimonij rati, & non conſummati.* Ad II. dico, quod licet ab ipſomet Hiſtorico alia aſſignetur cauſa huius Decreti ſub tali forma: ſcilicet *pro Græcis in Venetorum dominio*: quidquid tamen ſit de hoc, addo, quod non eſt noſtrum, & multo minus Hæreticorum, Concilio loquendi formas præſcribere. Ad III. dico, verba illa Chriſti, ac S. Pauli eſſe pro his, qui vel non rectè petunt caſtitatem, vel nolunt pugnare aduersùs concupiſcentias.

Ad IV. dico, ex hoc nihil ſequi contra Decretum Concilij, nam ſicut cauſæ Matrimoniales pertinent ad iudicem Eccleſiaſticum, quatenus Matrimonium Sacramentum eſt: ita etiam aliquæ cauſæ Matrimoniales

moniales poſſunt pertinere ad Principes ſeculares, quatenus in Matrimonio interuenit dos, & ſimilia: vnde non eſt mirum, quod in Codicibus Principum ſecularium inueniantur leges pertinentes ad Matrimonium. Adde, quod in Theodoſij, & Iuſtiniani Codicibus ſunt in vnum collectæ leges, quæ antiquitus erant in vſu, antequam Imperatores eſſent Chriſtiani. Si quæ leges concernunt Matrimonium, quatenus eſt fori Eccleſiaſtici, non habent vim, niſi vt receptæ ab Eccleſiâ.

Ad V. dico, Clandeſtina Matrimonia fuiſſe prohibita ob temporum calamitatem, aliáſque circumſtantias, quæ non erant antiquitus. Verba autem Parochi eſſe tantum concluſiua, ſiue terminatiua contractus Matrimonialis, quia interrogatione factâ à Parocho, & reſpondentibus Sponſis affirmatiue: Parochus per ſua verba concludit actionem illam, conferens Sponſis ſuam benedictionem. Ad VI. reſpondetur, hæc dici Hæreticorum more ex liuore, & inuidia. Ad ſeptimum dico, Eccleſiam habere poteſtatem, non ſolum excommunicandi, ſed etiam ligandi, & puniendi; neque contrarium probant Hæretici.

Ad octauum, dico Concilium ſeparatum

à Papa

à Papa poſſe condere leges, quâcunque de re: ea tamen nullam vim habere, niſi poſt approbationem Summi Pontificis. Ex quo cadit vtraque Pars argumenti in contrarium. Ad IX. dico, quod ſi cauſæ Epiſcoporum in aliquo loco aut tempore non referuntur ad Romanum Pontificem: hoc euenit, ex Hæreſi, vel vſurpatione, vel permiſſione. Cæterùm, quod tales cauſæ pertineant ad Romanum Pontificem, ſtatuit antiquitus Zepherinus Pontifex. Imo ipſe Hiſtoricus libro ſeptimo, refert verba Gregorij Papæ, pro hâc eadem re; vnde ſatis patet hunc nouum non eſſe, ſed antiquiſſimum in Eccleſia morem.

Ad decimum dico, ex hoc argumento cognoſci Hiſtorici ſtultitiam & contradictionem. Si enim, vt ipſe aſſerit, *argumenta hæc ſuâ non ſunt, ſed facta fuere in Germaniâ, ſub euulgatione ipſorum Decretorum durante Concilio:* quomodo iſti argumentantes poterant ſcire iſtud Decretum factum à Sancta Synodo optimum quidem eſſe, ſed quod illo non obſtante contrarium permanebit? loquitur ſcilicet de futuro, ſicut de præſenti. Ad vltimum dico, declarationem hanc fuiſſe de re verâ, & certâ; idem enim modus procedendi fuit in Concilio

Q ſub

ſub Pio IV. qui antea ſub alijs Pontificibus Paulo & Iulio.

ARTICVLVS VIGESIMVS QVARTVS.

Pro Seſſione vltima.

De Indulgentijs, & Inuocatione Sanctorum, & de Purgatorio.

PRimo, notabatur modus procedendi in definiendo de his, diuerſus ab alijs. Secundo, *quod nihil de Indulgentijs dictum ſit, niſi eſſe veras, atque vtiles.* Tertio, *eſt in admiratione, modus loquendi de corrigendo abuſu Indulgentiarum, iuxta verum, & antiquum in Eccleſia ritum*, cum tamen nomine Eccleſiæ venire non poſſit, niſi Eccleſia Occidentalis; quia in Orientali nunquam auditus fuit Indulgentiarum vſus, & in Occidentali iſte vſus paucis abhinc ſeculis inualuit.

Ad primum dico, Sanctam Synodum iuxta rei neceſſitatem & opportunitatem contra Hæreticos ſingula definiuiſſe; res vero ipſas longo tempore examinatas fuiſſe. Eſt autem temerarium, eius modum proceden-

di carpere. Ad II. idem dicendum; hæc enim eſt inter Catholicos & Hæreticos diuerſitas, quod illi acquieſcunt Concilio, non item iſti. Ad III. dico, quod ex hoc apparet Hiſtorici ſtultitia. Fuit ſemper etiam in Orientali Eccleſiâ Indulgentiarum vſus, & etiamnum extat; ſi Hiſtoricus hoc neſcit, percontetur à Græcis ſibi finitimis, qui illum de hâc re docebunt. Quod verò ad Occidentalem Eccleſiam, falſum eſt, earum vſum non niſi quatuor ab hinc ſeculis viguiſſe: antiquiſſimus enim fuit, ac tempore Sancti Gregorij Papæ, qui obijt A. C. 604. iam notiſſimus.

ARTICVLVS VIGESIMVS QVINTVS.

De Confirmatione Concilij, & de operis Concluſione.

TAndem reprehenditur ab Hiſtorico Confirmationis modus adhibitus in Conſiſtorio. Narratur enim, *poſt lectum Decretum de Confirmatione petendâ, pronuntiatam fuiſſe à Pontifice Confirmationis ſententiam, abſque eo, quod lecta fuerint tot Concilij Decreta, quæ confirmanda erant.*

Reſpondetur breuiter: in ipsâ Hiſtoriâ

referri, prius non ſemel factum fuiſſe diligentiſſimum examen circa Decreta: quæ ab ipſo etiam Pontifice conſiderata fuiſſe, antequam ad petitionem Confirmationis veniretur, dubium non eſt. Quare in Conſiſtorio nihil aliud ſupererat, quam vt proponeretur Decretum Concilij de Confirmatione petendâ, & deinde pronuntiaretur Confirmationis ſententia. Hæc ſunt, quæ in Hiſtoriâ referuntur contra SacroSancti Concilij doctrinam, quorum pro virium imbecillitate confutationem adornauimus, perſæpe omiſſis leuiſſimis quibúſque, quæ nihil, niſi malignum animum ſpirant.

Præterea prætermiſimus aliqua argumenta, quæ libro 7. adducuntur contra Romani Pontificis authoritátem; quamuis ſub alio prætextu, ac titulo. Prætermiſimus inquam, quia omnia illa inueniuntur propoſita, atque optimè ſoluta apud Bellarminum in Controuerſijs.

Duo etiam pertranſiuimus, I. de S. R. E. Cardinalibus, contra quos Hiſtoricus libro 7. multum inſanit. II. De Epiſcopis & Preſbyteris, de quibus ambiguè, & æquiuocè Hiſtoricus loquitur lib. 3. Hæc enim duo ad Concilium directè non pertinent: & de Cardinalibus quidem quam plurimi doctiſſimi

viri

viri ſcripſerunt, vt nihil inſuper videatur adiungendum. De Epiſcopis verò, & Presbyteris, integram tractationem ſuo tempore in lucem edendam paramus, præcipuè ad contundendam Cl. Salmatij audaciam, qui innumera hâc de re ſcribit in volumine de Primatu Papæ, quod potius Hæreticum Chaos inſcribendum erat: ideoq; etiam mediocris ingenij Lectoribus & riſum mouet, & ſtomachum.

EPILOGVS.

HÆc, quæ non pro Interpretatione, ſed Defenſione SacroSancti Concilij aduersùs Hæreticorum, (in quorum claſſe Petrus Soaue Polanus iure merito reponendus eſt) fraudes, mendacia, blaſphemias, neceſſaria, minimèque ambigua ſecundùm Regulam Catholicæ Veritatis, iudicauimus, S. Sedis Apoſtolicæ iudicio & arbitrio humillimè ſubijcimus vniuerſa.

Illud denique repetentes, quod ad Lectorem præfati ſumus: Nos nolle, vt ſub Veritatis inſignibus accipiantur ea, quæ conſcripta ab Hiſtorico iſto, alias men-

daciſſimo perhibentur. *Quale illud eſt, quod fol. 77. refertur:* Ioannem Manriques Oratorem Hiſpanum cum Guiſianis egiſſe, proponendum Nauarrenſi, vt repudiatâ Vxore Hæreticâ, (*ſed tamen legitima,*) Mariæ Scotiæ Reginæ coniugium peteret, &c. *Quæ aut vanè credita, vel inuidioſè confictæ oſtendit Famianus Strada, Decad. 1. de bello Belgico. Lib. 3. Anno 1562.*

Idem dictum volumus de alijs, ſi quæ in Pontificum, Principum, aut quorumuis aliorum præiudicium, vel offenſam trahi poſſent: neque enim hanc Hiſtoriam ex mente noſtrâ contexuimus, ſed ex verbis & ſententijs Petri Soaue Polani excerptam, falſitatis ex ipsâmet cõuincere conati ſumus: inter illos hunc Hiſtoricũ numerantes, qui nõ ſemel *tantùm, ſed abſque numero* mendaces, merentur, vt neque vera dicentibus Fides habeatur, *vt alicubi loquitur S. Hieronymus.*

Soli DEO Gloria.

ERRATA

ERRATA CORRIGENDA.

Fol. 4. v. 7. Tigurium *lege* Tigurum. f. 7. v. 24. Andrianus *lege* Adrianus. f. 8. v. 16. turba hæc *lege* turbæ hæ. f. 10. v. 12. iſtos *lege* iſtas. f. 16. v. 25. Concilio *lege* conſilio. f. 20. v. 23. ob *lege* ab. f. 33. v. 14. ſugeſtum *lege* ſuggeſtum. f. 45. v. 2. opponendæ *lege* apponendæ. f. 47. v. 22. Concilio *lege* conſilio. f. 51. v. 2. conſenſum *lege* conſenſu. fol. 52. v. 5. exuſatio *lege* executio. f. 56. v. 12. campos *lege* compos. f. 58. v. 12. Concili *lege* Concilij. f. 60. v. 18. hac *lege* hoc. f. 63 v. 20. Principes *lege* Principis. f. 73. v. 22. erpreſſo *lege* expreſſo. f. 74. v. 3. coiugium *lege* coniugium. f. 79. v. 7. inidxit *lege* indixit. f. 85. v. 25. Confeſſionem *lege* confuſionem. f. 92. v. 24. ob. *lege* ab. f. 99. v. 9. ſiue *lege* ſine. f. 100. v. 11. factâſſe *lege* factitâſſe. f. 114. v. 1. 1364. *lege* 1564. f. 115. v. 5. ipſud *lege* ipſum. f. 119. v. 9. Hiſtrici *lege* Hiſtorici. f. 120. v. 21. veritatem *lege* vnitatem. f. 121. v. vlt. ob *lege* ab. f. 132. v. 15. Zomanza *lege* Romanzo. f. 133. v. 16. terum *lege* rerũ. f. 140. tit. Tertius *lege* Tertia. f. 142. v. 19. *dele*, quod. f. 150. v. 21. Diæceſanum *lege* Diœceſanum. f. 151. v. 8. Silueſtro 9. *dele* 9. f. 152. v. 18. ſunt *lege* ſint. f. 156. Auraſicanum *lege* Arauſicanum. f. 168. v. 15. Domatiſtas *lege* Donatiſtas. f. 174. v. 18. ad ſecundum *lege* ad quintum. f. 185. v. 14. accipiendas *lege* accipiendos. f 200. v. 3. Concili *lege* Concilij. fol. 226. v. 9. Caſſiododorum *lege* Caſſiodorum. f. 227. v. 8. Vatum *lege* Votum.

C05650660